JAC. PERIZONII
DISSERTATIO
DE
AERE GRAVI,
UT ET
RESPONSIO
AD EPISTOLAS
ANDR. MORELLII V. C.
DE VARIIS
FAMILIARUM ROMANAR. NUMMIS
Ex Ursino & Aliis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHAN. VANDER LINDEN, Jun.
MDCCXIII.

AD
LECTOREM.

VISUM *fuit nuper admodum Viro Doctissimo*, Diatribes Anti-Gronovianæ, *& illius* de Ære Gravi, *iterare editionem, ac Novam de Verbo* Cernere *ex professo adjicere, de quo a Me itidem ex professo, sed per occasionem Animadversionum ad Sanctii Minervam, fuerat actum: ut ita pariter ipsa Diatribe Gronovium Filium repelleret, de Ære* Gravi *Gronovium Patrem nominatim, aliosque omnes Eruditos superiorum sæculorum, in eandem fere* Æris Gravis *interpretationem conspirantes, confutaret, in Verbo* Cernere *Me peteret, & clam palamque vellicaret. Quod suone ipsius, an aliorum, qui nos collisos volunt, instinctu fecerit, incertus sum. Hoc scio me nihil tale meritum, ideoque præter exspectationem id mihi accidisse, quippe cujus ille benevolentiam saltem & studium ipsius juvandi & commendandi*

superioribus temporibus, si eorum meminisse lubet, satis superque perspicere potuit, & qui nullo deinceps eum verbo publice læsi, aut notavi, quum ipse utique eo ipso nomine magnas ad me querelas contra Cl. Gronovium detulerit, ut qui se nihil mali de ipso meritum, publice acriter adeo invaserit. Iniquissimus equidem essem, si indigne ferrem, aut sequius acciperem, Alium de iisdem rebus agere, quas Ego publice prior tentaveram. Palma in medio est posita, ad quam aspirandi omnibus æquum est jus. Id tamen vellem, ne pelluceret malevolentia & quoddam deterioris notæ studium. Consilium Viri certum est. Nam quum tantum Specimen *vellet* exhibere, *secundum quod accuratus L. L. Thesaurus confici posset, quum tot alia potuisset, sumsit potissimum & unice hoc Verbum* Cernere, *ex professo ita tractandum, ut a me fuerat factum, ut ita occasionem haberet mei potissimum hinc inde castigandi. Hæc de-*

cla-

clarant certum Viri Consilium, quod suo ille arbitratu capere potuit; sed quod tamen aliquid occultæ & alta mente reposita malevolentiæ præ se fert. At longe clarius perspicitur ea in Modo agendi, quo in re hac pertractanda usus est. Magnifice jactat, rem, *quam moliatur*, difficillimam esse, principem & propriam vocis cujusque notionem semper eruere, tum reliquas significationes inde deductas rite distinguere, ordinare, & inter se connectere; sed & hoc affirmare, *ut ait*, non dubitat, nulla alia via ad intimam Linguæ alicujus cognitionem perveniri posse. &c. *At vero difficillimam hanc viam prior passim ad Sanctii Minervam, seu bene, seu male, ingressus tamen fueram, atque ita Verba* Petere, Luere, Desiderare, Propter, *aliaque, immo quod magis est, ipsum hoc* Cernere *jam tractaveram. Quin perpetua mea docendæ ipsius Linguæ Latinæ aut Græcæ ratio in eo vel maxime consistit, ut*

unde Vox sit Derivata, quæ dein Prima ejus Significatio fuerit, quo Nexu alia & figuratæ postea inde deduci debeant, ostendam. Accedit, quod in hac Diatribe eadem fere omnia repetat, aliis licet Verbis, quæ a me jam fuerant breviter tradita, nisi quod hinc inde nonnulla aspergat. At de Origine Verbi, de Prima ejus Significatione, denique de Nexu seu Ratione, quâ reliquæ & figuratæ Significationes ab illa Prima fuerint derivatæ, quâ in re meriti sui præcipuam partem ponit, me sequitur præeuntem, ut hæc, & totam rei controversiam, ad Sanctium liquido exponimus. Ille vero ut videretur primus hanc viam invenisse vel ingredi ausus, nullam nec mei, nec aliorum, ea in re qui itidem præiverint, facit mentionem. At dein palam & diserte satis me designat, quando se quid investigasse putat, quod refutare possit, idque in rebus levissimis, quas referre me, parum abest, quin pudeat, ne publico ludibrio exponam Hominum

nostri Ordinis ineptias. Attuleram Verba Accii, Veteris Poëtæ, ex Nonio: Quid agam? vox illius certe est; idem omnes Cernimus: *eaque exposueram ita, ut dicerem, istic Verbum* Cernimus *notare* judicamus. *Id ille male fieri clamat, & vult exponi* intelligimus, clare cognoscimus. *Tota ergo controversia huc redit, an recte isthoc, ac aliis quibusdam in locis, ad interpretandum verbum* Cernere *adhiberi possit verbum* judicare, *quamvis, ipso fatente, Latinum illud sit ortum a Græco* κρίνειν. *Hoc autem quam maxime* judicare *significet. Quid autem Ego per* τὸ judicare *in hac interpretatione intelligam, abunde declaravi, dum ibidem paulo ante in explicando Plauti loco*, Crevi *exposui* judicavi, judicio mentis meæ certum habui. *Quid quæso hæc jam differunt ab illis* intellexi, clare cognovi, constitui, *quæ ille substituenda clamitat. Sed & an putat Vir Doctissimus, non potuisse Accium di-*

cere, Vox illius certe est: Idem omnes judicamus, *& an, si hoc dixisset, alium tunc expressisset sensum ab eo, quem nunc expressit. Sed summa Viri ratio est, quod* judicare *multis in locutionibus recte adhibeatur, ubi* Cernere *locum non habeat. Veluti, quando dicitur*, Quid judicas de hac re, *pro eo barbare dictum iri*, quid cernis de hac re. *At quis unquam ab Interprete exegit, ut is in interpretando non aliam adhiberet vocem, quam quæ eandem plane, quam Vox exposita, non majorem, nec minorem, habeat significationis latitudinem? An Suidas, & alii, Grammatici, Lexicographi, Scholiastæ, tam gravem & duram interpretandi legem unquam secuti sunt? Immo vero quamplurimarum vocum, si non omnium, interpretatio penitus foret abjicienda, si isthæc ratio valeret. Quid? ipse Vir Acutissimus, quando* Cernere *exponit per* intelligere, constituere, *non videt, neque hæc verba convenire*

in

in omnibus cum τῷ Cernere? Dicimus recte, an intelligis hunc locum? Triumviri Reip. constituendæ. *At quis unquam pro eo dixit*, an cernis hunc locum? Triumvirum Reip. cernendæ? *Et tamen talibus argumentis me oppugnat Vir Doctus, deque talibus nugis litem mihi ultro movet. Ast utrum hæc ab ingenua erecti & generosi, an jejuni & malevoli, animi indole proficiscantur, judicet Lector. Ira forsan aliquid concepit ex eo, quod superiore anno coram dicere illi non dubitaverim, me sententiam illius de* Ære Gravi *non approbare. Utcunque sit, quam libertatem ille sibi sumit, eandem & mihi denegari non posse censui. Non igitur ægre ferre suum debet exemplum; quando videbit me Meam quoque de* Ære Gravi *publicavisse sententiam. Id quod tanto lubentius feci, quia videbam magna cum asseveratione obtrudi nobis inauditam istius phraseos interpretationem, quæ Omnium & Veterum & Recentiorum, quod*

ipse fatetur & gloriatur, repugnet auctoritati, & quæ tamen certissime sit falsa: dein quia credebam operæ pretium me facturum, si totam hanc rem explicarem, & difficultate maxima, qua premebatur istis in rebus, quæ post imminutos asses, & receptum levioris æris usum, acciderunt, expedirem. Recte an secus has partes egerim, judicio Lectoris, qui idoneus & æquus est harum rerum arbiter, permitto. Ceterum quia una hæc Dissertatio justi libelli speciem non explebat, idcirco adjeci quoque Epistolas Celeberrimi Viri, Andreæ Morellii, & Meam, de Nummis Consularibus, *quæ apud Me dudum jacebant quasi abscondita. Novas nunc illis animadversiones addidi, sed subito, fateor, & raptim, dum simul Minervæ Sanctianæ fervet prelum, quæ & brevi multis accessionibus locupletata in publicum prodibit. Interim hisce fruere, mi Lector, &, si videtur, laboribus nostris æquum te præsta arbitrum.*

JAC.

JAC. PERIZONII DISSERTATIO DE AERE GRAVI.

I. Primis rerum humanarum initiis, notissimum est, constitisse commercia hominum in permutatione rerum, quibus alter abundabat, indigebat alter. Hinc Aristoteles in celebri loco, ubi de origine Nummorum agit, Polit. I. 6. ortas dicit permutationes rerum, τῷ τὰ μὲν πλείω,

πλείω, τὰ δ᾽ ἐλάττω τ῀ ἱκανῶν ἔχειν τὰς ἀνθρώπους, *eo quod Homines quædam plus, quædam minus, quam satis erat, haberent;* ac dein subjicit, permutationes illas in prima quidem *societate*, (κοινωνίᾳ) quæ sit *Familia* seu *Domus*, non fuisse necessarias, at fuisse in *majore jam societate* τ῀ κεχωρισμένων, h. e. *hominum in diversas jam familias seu domus discretorum*, ratione hac addita, quod illi unius familiæ, seu primæ societatis, τ῀ αὐτῶν ἐκοινώνεν πάντων, *omnium eorundem communiter erant participes*, οἱ δὲ κεχωρισμένοι πολλῶν πάλιν ἠ ἑτέρων, *illi vero ita discreti, multarum itidem & aliarum rerum* communiter erant participes. At quid hoc? An Hi plurium, seu *multarum etiam aliarum rerum*, erant inter se invicem participes, quam Illi, qui *omnium* erant? dein an patitur hunc sensum nexus argumenti? Nam sequitur continuo, ὧν κατὰ τὰς δεήσεις ἀναγκαῖον ποιεῖσθαι τὰς

με-

μεταδόσεις, *quarum* rerum *propter inopiam*, *necesse erat*, *fieri permutationes*. At nullum in superioribus proximis istius *inopiæ* vestigium, nullum alicujus ἀκοινωνίας, unde istæ δεήσεις, & ista necessitas τῶν μεταδόσεων, fuerint ortæ. Quid plura? Legendum puto, οἱ δὲ κεχωρισμένοι πολλῶν πάλιν, καὶ μὴ ἑτέρων scil. ἐκοινώνουν, ὧν (ἑτέρων) κατὰ τὰς δεήσεις &c. hoc sensu, *multarum*, quæ *Omnium* tantum pars est, *itidem rerum communes erant possessores*, veluti terræ & aquæ, pascuorum, sylvarum, & similium, at *non* item *ceterarum*, quæ præter *multas* superant in *omnibus*. Harum autem *ceterarum* rerum propter *defectus* necesse erat inter illos fieri earum *permutationes*. Ita vero omnia accurate satis cohærent, quod in vulgata lectione non faciunt. Ceterum istas primi temporis permutationes constitisse ait unice *in rebus ad vitam sustentandam idoneis*, (χρησίμοις)

σίμοις) veluti frumento, vino, & similibus. Et ad hunc modum, addit, ἔτι πολλὰ ποιεῖ τῶν Βαρβαρικῶν ἐθνῶν, *etiamdum multa Gentium Barbararum faciunt.* Et sane ita de sua quoque ætate, cum Pomponius Mela II. 1. de Satarchis, Scythiæ Europêæ populo, *Auri & argenti, maximarum pestium, ignari, Vice Rerum commercia exercent*: tum Tacitus de Germanis cap. 5. *Interiores*, h. e. a ripa Rheni remotiores, *simplicius & antiquius Permutatione mercium utuntur.* Liquet ex his, sic satis diu apud remotiores ab aliarum commercio, ac antiquæ simplicitatis, gentes illam rerum permutationem in usu mansisse, sicuti etiam nunc manere in Africæ quibusdam regionibus & Americæ testantur mercatorum hujus temporis navigationes, & de Colchis in Asia Illustris Busbequius Ep. 3. p. m. 205. *Unum inter se norunt commercii genus, permutationem; ergo, quo quisque*

que abundat, in forum portat, ut permutet cum eo, quo indiget.

II. Sed tamen, quæ magis opportuno ad commercia loco sitæ erant gentes, & simul variis rebus aliunde importandis indigebant, eæ primum ad permutationem omnium rerum varii generis faciendam, adhibuerunt rem multiplicis usus & instrumenti ad subsidia vitæ comparanda atque ad vescendum præparanda, h. e. metallum æris & ferri. Hinc Aristoteles d. l. *ξενικωτέρας γενομένης τῆς βοηθείας, τῷ εἰσάγεσθαι, ὧν ἐνδεεῖς, καὶ ἐκπέμπειν, ὧν ἐπλεόναζον, ἐξ ἀνάγκης ἡ τοῦ νομίσματος ἐπορίσθη χρῆσις*, *quum vero subsidium peregre jam peteretur, eo quod importabantur, quorum egebant, & emittebantur, quibus abundabant, necessitate quadam inventus est usus Nummi*; addita hac insuper ratione, *quod, quæ ad naturam hominis*, h. e. vitam sustentandam, directe *erant necessaria, non ita facile singula transportari pos-*

possent. Nos vero addamus & illud, quod non semper in omni oppido, regione, insula, haberent copiose esculenta aut potulenta, quæ emitterent; neque vero in iisdem civitatibus haberent semper singuli, quæ aliis vicissim darent, & tamen desiderarent ea, quibus alii abundabant. Diserte hoc ipsum quoque tradidit JCtus Paulus Procemio Dig. de contrah. empt. *Origo emendi vendendique a Permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat Nummus, neque aliud* Merx, *aliud* Pretium *vocabatur: sed unusquisque, secundum necessitatem temporum ac rerum, utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut, quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper nec facile concurrebat, ut quum Tu haberes, quod Ego desiderarem, invicem haberem; quod Tu accipere velles; electa materia est, cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quanti-*

ritatis subveniret, eaque materia forma publica percussa, usum dominiumque non tam ex substantia prabet, quam ex quantitate, nec ultra Merx *utrumque, sed alterum* Pretium *vocatur.* Quæritur hîc inter Interpretes, quid sit illa *Quantitas*, aut quid ea voce hic designetur. Sunt qui mutent eam in *Qualitatem*. Alii eam retinentes exponunt per *æstimationem & pecuniæ valorem*. Hæc sententia fuit Duareni & Hotmanni, quam *falsissimam* pronunciat, & multis verbis refellere conatur, Salmasius de Usuris cap. 15. hac ratione, quod *quantitas* nusquam significet *æstimationem*, & absonum sit, dicere, *æstimationem subvenire difficultatibus permutationum æqualitate æstimationis*, seu *quantitatis*. Quid vero illc? Nimirum intelligit ea voce *numerum & copiam plurium nummorum*. Vide Eum pag. 443. At ubi jam *Quantitas* ita absolute *Numerum* notat sine ulla mentione

A 4 rei,

rei, cujus Numerus designetur? Præcessit quidem vox *materia*, sed non explicita nec definita; & quid est *numerus materiæ* in nullas adhuc partes divisæ? Deinde quae est illa *æqualitas numeri* ad res emendas relata? Alius utique debet esse numerus, si majoribus, sive minoribus nummis, si argento, sive aere, quid ematur. Denique *usum qualemcunque & dominium* æque nobis *præbere* potest Unus Nummus, ac Plurium *Numerus* & copia. Quid ergo? Nullus dubito, quin *quantitas* hic pretium & ejus summam mercibus emendis æquandam significet. *Pretium* enim est, quod hic quæritur, de quo hic agitur, & quod ex illa *æqualitate quantitatis* oritur ita, ut quum *olim aliud Merx, aliud Pretium, non vocaretur*, nunc *non ultra Merx utrumque*, ut fiebat in permutatione, *sed alterum*, *Pretium*, *vocaretur*. Adde quod usitatissimæ apud JCtos, æque ac apud alios Scri-

Scriptores, sint phrases, *quanti ea res est*, *quanti constat*, *quanti id emptum est*, quæ ad *pretium* rei, quæ empta est, referuntur. Hinc ergo *Quantitas* notat quoque pretii summam vel modum. Et sic passim ponitur pro æstimatione rei certum in pretium: Veluti l. 18. §. 1. Dig. de Milit. Testam. *Si consumant universorum bonorum quantitatem Legata*, h. e. æstimationem seu pretium in certam pecuniæ summam redactum. l. 73 ad Leg. Falcid. *In quantitate Patrimonii exquirenda visum est mortis tempus spectari.* Imp. Alexander l. 4. Cod. de Hered. vel act. vend. *Qui nondum certus de quantitate hereditatis, persuadente emptore, quasi exiguam quantitatem, eam vendidit*, ubi notat amplitudinem & pretium hereditatis totius ad pecuniam redactæ. Et ita Plinius quoque Panegyr. cap. 39. de Hereditate Vigesimæ obnoxia, *Ac ne remotus quidem jamque deficientis affinitatis gradus æqua-*

 libet

libet Quantitate Vigesimam inferre cogetur: statuit enim communis omnium parens summam, quæ publicanum pati possit, h. e. a qualibet summa ex pretio & æstimatione hereditatis exoriente. Sed disertissimus est locus l. 21. D. de operis novi nunc. ubi quum prius dixisset §. 4. *Quod si ita restitutum non erit; QUANTI ea res erit, Tantam Pecuniam dabit*: dein §. 7. *Ceterum si ita fuerit cautum, QUANTI ea res erit, dubitabitur, utrum ad totius corporis Æstimationem hac verba referuntur, an vero ad, quod Ejus interest, qui stipulatur. Ego puto, & si sic fuerit Uni cautum, QUANTI ea res erit, defendi posse, Stipulationem sufficere: Ad Operis enim QUANTITATEM ea refertur.* Ubi manifeste *Quantitas operis* est idem, quod paulo ante dictum, *Æstimatio totius corporis*, & refertur ad phrasin, *quanti ea res erit*, quasi ad originem suam, seu causam suæ significationis.

nis. Aliud tamen eſt in Paulo *publica* illa *& perpetua æſtimatio electæ materiæ*, aliud *quantitas* iſta, cujus *æqualitas* ad merces relata pretium earum præſtat. Illud enim laxiore ſenſu ſumitur, dum illa materia *publice* ab omnibus fere populis & *in perpetuum* judicata fuit propter multiplicem ſui uſum, præſentem & futurum, certum & incertum, idonea, quæ locum alterius mercis in permutatione occuparet, & mercibus quibuſcunque reponeretur diverſa quantitate, prout diverſum earum eſt pretium: at *quantitas* iſta, cujus *æqualitate ſubvenitur difficultatibus permutationum*, ſtrictiore ſenſu accipitur, ut notet proprium ſingularum mercium pretium ex illa materia ſumptum ad æquandum illud, quod nobis deſiderabile eſt in illis mercibus.

III. Electa autem eſt materia, ex qua omnia fere inſtrumenta rerum ad vitam ſuſtentandam utilium

conficiuntur. Ea porro sita erat in metallo ferri & æris, cui, ferro in commerciis paulatim abjecto, accessit dein metallum argenti, & denique auri. Sed illa materia primitus in suis separatis partibus æstimabatur ex sola magnitudine per oculorum aspectum, vel etiam ex gravitate per contrectationem & pensitationem manuum: deinde quia hæc sæpe fallunt, visum est potius, inventa jam libra, singularum partium ejus materiæ pondus certius examinare, & ex ejus pondere pretium conveniens mercibus statuere. Quod quum aliquandiu jam fieret, deventum est tandem eo, ne in qualibet emptione etiam minoris pretii cogerentur semper libram adhibere, ut ergo ex metallo laminæ quædam certi ponderis publica auctoritate formarentur, iisque ponderis istius nota imprimeretur: quæ vera fuit & proxima origo Nummorum. Docet hæc

omnia.

omnia nos breviter Ariſtoteles dicto jam loco, ubi ait, *conſtituiſſe homines inter ſe in permutationibus tale quid dare & accipere, quod ipſum inter utilia quum eſſet, haberet facilem tractatu* (h. e. ad varias res facile transferendum) *uſum ad vitam agendam, veluti ferrum, argentum, & ſi quid aliud tale*, τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ὁρισθὲν μεγέθει καὶ σταθμῷ: τὸ δὲ τελευταῖον καὶ χαρακτῆρα ἐπιβαλλόντων, ἵνα ἀπολύσῃ τῆς μετρήσεως αὐτούς. Ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἐτέθη τοῦ ποσοῦ σημεῖον. *quod primum quidem ſimpliciter magnitudine & pondere definiebatur: tandem vero etiam characterem ei impreſſerunt, ut liberaret ipſos a penſitanda* ſemper denuo *menſura* ſeu *modo ponderis. Character enim iſte, qui imprimebatur, erat ſignum quanti ponderis illud eſſet.* Facilia intellectu videntur hujus loci verba, atque omnia in eo cohærere nexu ſatis recto. Tanto magis miror, Illuſtrem Salmaſium de Uſu-

ris cap. XI. pag. 306. & seqq. contra isthæc verba tantos ciere fluctus. Recte primo contra Dan. Heinsium exponit μέτρησιν, & ostendit eam etiam de modo ponderis per libram explorando adhiberi. Sed dein se *non satis assequi* ait *mentem Philosophi*, in eo, quod metallum dicat *definitum mole & pondere. Nam*, addit, *si ad certum pondus fuit examinatum, quid opus ergo fuit magnitudinis & molis meminisse?* Porro rogat, *quid opus fuerit nota illa ad dignoscendum pondus, si jam antea massæ fierent certæ magnitudinis, quas scirent omnes in civitate habere id pondus.* Vult ergo pro μεγέθει ἢ σαθμῷ legi μεγέθει, ἐ σαθμῷ. Ea tamen ita dein interpretatur, ut hæc interpretatio prorsus congruat vulgatæ lectioni, non mutatæ. Nam subjicit, *Primo habuere massas ferri aut argenti rudis certa molis forma, ut puta pugni magnitudine, aut panis librarii. Ea*

num-

nummi vicem implebant, sed appendebantur, quia *præter propter quum eadem magnitudine fierent, non tamen examussim idem pondus erat in omnibus.* Si hæc mens fuit Aristotelis, si ita simul spectarentur illæ massæ ex *mole* sua & *pondere*, tunc utique necessario retinenda est vulgata lectio, non mutanda in contrarium sensum, quo *pondus* plane excluditur ex illa spectatione. Sed halucinatio hæc Viri Summi in eo consistere videtur, quod omnia statim referat ad publicam auctoritatem, quasi Homines ab initio metallum non adhibuerint in permutationibus, nisi ex publico decreto, quod falsissimum est. Publici decreti nihil exstitit, nisi quando cœpit metalli certum pondus certa nota insigniri. Quando apud Homerum legimus Iliad. H. v. 473. quem locum & Plinius respicit XXXIII. 1. Græcos ex navibus Lemniorum comparasse sibi vinum, *alios ære, alios*

alios ferro, alios pellibus, alios ipsis bubus, alios denique *mancipiis*, quis non videt *as* illud & *ferrum* fuisse, in ista permutatione, ejusdem naturæ seu rationis, cujus *pelles*, *boves*, & *mancipia*, h. e. fuisse privatæ pactionis & arbitrii, nihil fuisse istic publico ex decreto ortum. Immo vero ipse Salmasius, ut in maxima doctrina solebat parum justo examine singula perpendere, & ideo sibi parum constare, dein cap. XV. pag. 438. 439. ex professo id agit, ut nos doceat, ipsos *nummos non ab ulla lege* aut decreto *originem habere, sed a mutuo consensu & compacto eorum, qui illo utebantur*: immo ipsum vocabulum *νόμισμα* dici a *νόμῳ*, prout ea vox notet etiam *consuetudinem & morem*. Quid ergo? Distinguenda sunt tempora, ut in aliarum rerum, sic & in hujus rei origine & progressu. Fuit tempus, quo nondum inventa sunt pondera & mensuræ. Nam in-

inventa ea traduntur in Græcia, teste Plinio N. H. VII. 56. demum a Phidone Argivo, vel, ut alii, jam a Palamede, quod mihi longe est verisimilius. Certe in Oriente jam exstiterunt tempore Abrahami. Ceterum ante inventa pondera, & adhibita in singulis regionibus, non potuit in metallo majus aut minus constitui, nisi ex *magnitudine* & gravitate, quæ oculis vel manibus considerabatur. Hoc illud est, quod Aristoteles primum dicit id *μεγέθει ὁρισθὲν*. Sed quia non ita diu post inventum metallum inventa haud dubie sunt pondera, licet utrumque apud diversos populos diversis plane temporibus, idcirco non ita diu sola *magnitudine* æstimatum est metallum, sed mox accuratius longe expensum ejus est *pondus* in libra, atque ideo addit Philosophus *καὶ σταθμῷ*. Hoc autem fiebat in metallo adhuc Rudi, cui tandem successit Signatum nota ipsius ponderis,

deris, ut idem tradit, & nos paulo ante declaravimus.

IV. Ceterum hæc, ut modo diximus, diversis in populis diversissimo tempore cœperunt. Apud Homerum jam *pondera* reperimus & rerum per ea exæquationem, quando Iliad. M. v. 433. mulier justa inducitur, tenens lances, & pondus, & lanam utrimque appensam in portionem plane æqualem. At Nummorum apud Eum mentionem occurrere nullam, observarunt jamdudum Eruditi. Sed & refertur vulgo a Græcis prima apud se Nummorum origo ad Æginenses & Phidonem Argivum, qui vixit temporibus Lycurgi circa primam Olymp. Iphiteam. Fuisse tamen, qui etiam ad Alios & Antiquiores retulerint eorum inventionem, docet nos Pollux lib. IX. cap. 6. At in Oriente ut primi fuerunt Homines, sic & istic primum inventæ omnis fere generis Artes: quas inter Metal-

tallum argenti & auri in permutationibus per modum pretii, & Pondera, ad quæ metallum appendebatur, jam tempore Abrahami in usu fuisse certum est. Salmasius jam eo tempore cusos exstitisse Nummos aureos atque argenteos putat de Usur. XV. p. 424. idque probare nititur ex Genes. XIII. 2. ubi Græci dicunt Abrahamum fuisse divitem valde ovibus καὶ ἀργυρίῳ καὶ χρυσίῳ, quod exponendum censet de *nummo argenteo & aureo*. Sed quid opus Græcæ versionis sensum investigare, quum disertissima sint verba Hebraica ipsius Mosis, ex quibus solis, si clara sint & liquida, rerum narratarum rationem & Historiam constituere debemus. Istic autem diserte scribitur בכסף ובזהב h. e. *in argento & auro*. Prorsus ita, ut ipse *apud Homerum sæpe occurrere* fatetur, *divitias Heroum tunc temporis in auro & argento censeri non signato*. Nihil utique aliud

liud dicitur a Mose de Abrahamo. Sed speciosius videtur, quod ex Gen. XXIII. 16. adfert, ubi Abrahamus dicitur ab Hephrone Hethita emisse agrum & speluncam *quadringentis* siclis *argenti, quod receptum & usitatum sit mercatoribus.* Hic ille *numeratæ & signatæ pecuniæ fieri mentionem* asseverat. Sed nulla profecto ratione aut fundamento. Nam diserte istic traditur Abrahamus, non Numerasse, sed *Appendisse argentum*, quod erat *quadringentorum* siclorum *argenti.* Notissima est Verbi שָׁקַל *appendit*, quod hic adhibetur, significatio, unde שֶׁקֶל *pondus* certum, & dein *nummus*, qui *siclus* dicebatur, & fuit tandem quatuor Atticarum drachmarum. Quod vero dein additur, עבר לסחר *transiens ad mercatorem*, h. e. quod Mercator admittere solet, quod receptum est inter mercatores, ex eo nihil prorsus exsculpi potest pro argento signato, adversus

ſus rude & appenſum, quum hoc multo magis diverſi eſſe deberet pretii, quam ſignatum, quippe quod, quum publica auctoritate cuderetur, credebatur magis eſſe purum & probum in illis initiis, quam quod Rude in privatorum manibus ſemper hæſerat, ac ſæpe non ſatis erat expurgatum. Liquet ergo ex hoc loco nihil aliud, quam tempore Abrahami in emptionibus adhibitum jam argentum rude, & appenſum venditori, at neutiquam argentum ſignatum & numeratum. Immo illud ipſum etiam ad tempora Jacobi & Jobi demittit Celeberrimus noſtræ nuper Academiæ Theologus, Frid. Spanhemius in Hiſtoria Jobi cap. XI. §. 13. & 14. quem velim videas.

V. Quin & ſatis illud vetuſti eſt temporis, ſi jam illo Abrahami tempore permutationi rerum acceſſiſſe ſtatuitur iſta emptionis ſpecies, qua appenſo argento rudi ager & ſe-

ſepulchrum comparabatur, ac inventa jam ponderis in ſingulis rebus explorandi ratio: maxime ſi ſpectemus, quam ſero hæc cœperint in Europa apud ipſos Græcos. Sed ſciendum, primos Homines, qui ex Aſia tranſiere in Europam, fuiſſe longe maximam partem Paſtores, omnium fere aliarum artium, licet jamdudum in cultioribus Aſiæ locis, Babylonia, Syria, &c. repertarum, ignaros. Nihil itaque mirum, neque Literas ipſas, neque Pondera, nec tot alia, per hos ſtatim in Græciam inducta, eaque ipſa Græcos longo tempore poſt demum ab aliis advenis, quædam etiam per commercia dein cum Aſiaticis, accepiſſe, vel per ſe inveniſſe. Pondera tamen circa tempus B. Trojani Græcis in uſu fuiſſe nullus dubito, at Nummos Signatos demum a Phidone Argivo, ut ſupra diximus, ortos, & per Græciam mox ſparſos, crediderim tot
Scri-

Scriptoribus, qui id tradiderunt. A Græcis, ut omnia fere, acceperunt Latini primum *Æs Rude*, (nam argento adhucdum carebant) quod per modum emptionis mercibus reponebatur. Deinde vero Servius Tullius, Sextus Romanorum Rex, Æs signasse Primus traditur. Salmasius tamen de Usur. XIX. p. 575. *verius fortasse* illud *ad Janum referri* a quibusdam (intelligit haud dubie Athenæum lib. XV. p. 692. & Macrobium Sat. I. 7.) censet, oblitus, ut videtur, quod paulo ante pag. 571. vocabula *stipendii*, *impendii*, *expensa*, *libripendis*, &c. *originem habere non ab eo tempore*, *quo æs Grave*, seu Signatum, *fuit*, *sed ex eo*, *quo Rudi* adhuc *utebantur*, quia illud *suum certumque pondus habuerit*, & ideo *appendi* necesse non fuerit, quod in *rudi necesse erat*. Ita ergo *stipendium*, & *libripens* cum suis imaginariis venditionibus, jam ante Janum, qui tamen omnium pri-

primus in Latium venisse traditur, fuisse in usu debuisset, h. e. antequam populi aut civitates, immo forsan homines, essent in Latio. Sed eadem ferme festinatione id scriptum credo, qua positum cap. XV. pag. 532. *Romani quum nummum ex Argento flatum signarunt, quod sub Servio primum factum dicitur, non drachmam, sed denarium vocarunt.* Qui certissimus est error, quum omnes Scriptores argentei nummi & denarii originem, non ad Servium, sed ad tempora longe inferiora referant.

VI. Quando autem signari cœptum Æs, tum vero Nummus præcipuus, qui *As* dicebatur, pendebat libram pondo, & erat ipsa Æris libra. At vero, quum dein etiam argentei nummi cudi cœpissent, atque ejus simul metalli & nummorum copia paulatim majorem in modum invaluisset, imminuerunt tunc Romani illos Asses Li-

Librales, & redegerunt ad Sextantarios primum, tum Unciales, denique Semunciales. Tradidit eadem fere Plinius in celebri loco, XXXIII. 3. *Populus Rom. ne argento quidem signato ante Pyrrhum Regem devictum usus est. Librales (unde etiam nunc Libella dicitur & dupondius) appendebantur asses. Quare Æris Gravis pœna dicta. Et adhuc Expensa in rationibus dicuntur, item Impendia, & Dependere: quin & militum Stipendia, hoc est, stipis pondera, Dispensatores, Libripendes:* (Ita hæc emendavit Gronovius Pater, & secutus est Harduinus ac recepit in textum tanquam sua, nulla Gronovii mentione facta, quod prorsus indecorum) *qua consuetudine in his emptionibus, quæ mancipii sunt, etiam nunc Libra interponitur. Servius Rex primus signavit Æs. Antea Rudi usos Romæ Timæus tradit. . . . . . Argentum signatum est an. Ur. 485. quinque annis ante primum*

B. Punicum. Et placuit Denarius pro X. Libris æris, Quinarius pro quinque, Sestertius pro dupondio ac semisse. Librale autem pondus æris imminutum B. Punico primo, cum impensis Resp. non sufficeret, constitutumque, ut asses sextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum . . . . . Postea Hannibale urgente, Q. Fabio Max. Dictatore, asses unciales facti, placuitque Denarium XVI. assibus permutari, Quinarium octonis, Sestertium quaternis. Ita Resp. dimidium lucrata est. In militari tamen stipendio semper Denarius pro X. assibus datus . . . . . Mox Lege Papiria Semunciales asses facti. Liquet ex his, longe prius signatum Æs Romæ, quam Argentum. Nempe ubique, ut ait Isidorus XVI. 17. *Antiquissimi, nondum auro argentoque invento, ære utebantur. Nam prius ærea pecunia in usu hominum fuit, post argentea, deinde aurea subsecuta: sed*

ab

ab ea, a qua cœpit, nomen retinuit, unde & Ærarium dictum; quia prius Æs tantum in usu fuit, & ipsum solum recondebatur. Certe ita fuit apud Romanos, qui per annos 484. ab Urbe condita solo ære in commerciis fuerunt usi. Hoc autem Æs primum *Rude* tantum fuit, h. e. informe, seu nullius certæ formæ, quippe quod in massis cujuscunque formæ consistebat. At postea a *Servio Tullio*, (si fides Plinio, cui hic longe plus fidei tribuimus, quam illis, qui inepte ad *Numam*, sola nominis affinitate cum *Nummo* ducti, vel ad *Saturnum*, ut Isidorus d. l. facit, & Auctor Originis G. Romanæ, vel denique ad *Janum*, rem referunt) signari cœpit certam in Nummi formam & pondus. Nummus autem iste dicebatur *As*, & pendebat libram pondo; atque erat Libra pondo omni illo tempore, quod elapsum est a Servio Tullio, usque ad Bel-

lum Punicum primum, in quo jam aliquandiu gesto Nummi istius seu Assis pondus imminui cœpit in Sextantem, ac dein B. Punico II. in Unciam, denique in Semunciam.

VII. Sed reperitur apud Plinium d. l. etiam mentio *Æris Gravis*, quo pœna seu mulcta constitueretur, & unde *diceretur*. Quid autem per illud sit intelligendum, in controversiam vocatur. Budæus, Hadr. Junius, & Scaliger, Æs Rude interpretantur. At Salmasius de Usuris capp. XI. & XIX. ac de Modo Usur. cap. VI. censet eo designari non Æs Rude, sed Signatum, ast ejus temporis, quo asses tantum erant librales: idque adeo ut accuset erroris ipsos Veteres, æque ac Recentiores, qui *Æs grave* dixerunt olim fuisse *appensum*. Rationem hujus sententiæ satis speciosam addit, quod ineptum esset & frustraneum signati Æris seu Assis pondus pendendo exquirere, quum id

id ipse Nummus sua Nota, quæ Pondus designabat, satis superque indicaret. Sed quia etiam post imminutos jam asses, reperitur tamen mentio *Æris Gravis*, inde ut se expediat, valde hæsitat. Primo quidem suspicatur, in muneribus seu donis publicis tot libras æris rudis tunc datas, quot antea asses librales dari solebant; atque ita Tunc *Æs Grave* de Infecto & Rudi accipiendum. Vide in Modo Usur. pag. 237. Quæ interpretatio quum non esset adeo absurda, licet ab Ære Rudi priorum temporum illud *Grave* prorsus voluerit ipse distingui & separari, vellem tamen in ea sibi constitisset. At ille mox simpliciter ipsum loquendi modum ex priori tempore retentum auguratur, ut *Grave* etiam illud tunc diceretur, quod jam re ipsa Grave non esset, quasi illa *Gravis Æris* appellatio jam fuisset in usu, antequam leviores asses essent facti. Denique delabitur in gravissimum

errorem, quo existimavit Sestertios olim fuisse æreos, eosque tunc ista *Gravis Æris* appellatione designatos: sed qui Error a Gronovio Patre abunde est refutatus. Hic vero de Pecun. Vet. lib. III. cap. 15. extr. *Grave Æs* exponit de Signato & de Rudi, idque sic dictum *tum demum, postquam aliud Æs pondere levius eadem æstimatione cœpit usitari*, secus quam Salmasius tradiderat, *Grave Æs, quamdiu Asses fuere librarii, non alia notione acceptum, quam de Ære Signato*, at postea *Æris Gravis appellationem non nisi de Infecto & Rudi usurpatam*. Verum hæc festinatio fuit Viri Summi, minus accurate per eam crebro locuti. Nam quando animum attendit, rectius & sensit & scripsit. Veluti de Usur. Cap. XIX. pag. 572. *Si Æs Grave idem cum Rudi, nulla ratio erat nominandi Æris Gravis, cum Rude sit semper Grave. Ideo Grave vocatum est, ut distingueretur*

ab

ab eo Ære Signato, quod non fuit Gravis ponderis, utpote concisum in minutos nummos. Ita ergo Omnes Eruditi, quos novi, & sciens prætermitto, *Grave Æs* in eum acceperunt sensum, ut opponatur Nummis leviorum Assium, qui demum cœperunt cudi Bello Punico I. & deinceps.

VIII. Hoc ipsum gloriatur Vir Doctissimus, qui nuper Diatribæ Anti-Gronovianæ subjecit Dissertationes de *Ære Gravi*, & verbo *Cernere*, de quo ipso & Nos ad Sanctii Minervam egeramus; quasi ex una fidelia duos voluisset dealbare parietes. Ille ergo, ut ederet specimina *suarum in L. Latinam Observationum*, unde liqueret, sibi *occasionem & materiam non deesse, summos quosque Criticos, tam quos nostra, quam quos superior vidit ætas, carpendi & exagitandi*, de *Ære Gravi* extra ordinem, & tamen ex professo, agere voluit, quia non

modo *Gronovius* Pater *frustra id explicare conatus est*, *sed & Omnes Alii*, *qui ante eum de materia hac scripserunt*, *ad eundem scopulum offenderunt*, *nec post eum quisquam adhuc exstitit*, *qui Veram Æris illis rationem exposuerit*, *quam sibi ipsi primus eruisse videtur*. Quid tanto dignum dabit hic promissor hiatu? Nimirum asseverat, omnes *in eo falli*, *quod appellationem* Æris Gravis *ex comparatione ejus cum Ære Leviore natam putant*, quum eâ potius *comparetur* a Veteribus *quodcunque Aereorum nummorum genus cum Argento & Auro signato*, *quæ metalla pondere Aeri longe cedant*: atque adeo *idem esse revera*, *sive dicatur* Æs Grave, *sive* Æs *absolute*. Verum *appellationem hanc non ante*, *quam argentum & aurum signari jam cœpisset*, *ortam*, ut, scilicet, *notio ejus ad nummos æreos*, *utpote aliis revera Graviores*, *restringeretur*; ita vero significari ea nihil aliud, nisi so-

solutionem *areis nummis* factam, quum ceteroqui per *Æs* absolute positum omnis generis pecunia etiam deinceps designari soleret. Denique *insignem fore errorem*, si quis putet *Æri Gravi* proprium fuisse *appendi*, quum hoc verbum, seu ille mos *appendendi*, ad quascunque *summas pecuniæ majores* unice sit referendus.

IX. Hæc ejus est sententia, in qua revera ab Omnibus, æque Veteribus ac Recentioribus, in alia omnia discedit. Nam certe Plinius d. l. ut inde incipiamus, manifeste *Asses*, dum *Librales* erant, *appendi* solitos ait, h. e. non tam numerando, quam *appendendo* solutionem eo ære factam; atque hinc pœnam pecuniariam antiquis temporibus sancitam, quia *appendendis assibus libralibus* præstari solebat, dici *Æris Gravis pœnam*, quæ utique non ita diceretur, si post imminutum Æs demum constituta, & solvenda levioribus illis assibus es-

 set.

fet. Certe nulla isto in nexu apud Plinium oppositio *æris gravis* ad Argentum, sed unice ad Æs imminutum: nam non nisi *ad librales asses* refertur istic illa *æris gravis* appellatio. Et sic *mulctam Æris Gravis* in tempore B. Punici I. legimus apud Gellium X. 6. Adde XX. 1. ubi diserte mulcta illa paucorum assium XII. Tabulis sancita sic explicatur, *tametsi & hæc ipsa paucitas assium, GRAVE Pondus Æris fuit; nam Librariis Assibus in ea tempestate Populus usus est.* Manifeste ergo & ille, quod Alii, & ipse alibi, brevius *Grave æs* dixerunt, istic plenius *Grave pondus æris* vocat, atque isti *mulctæ* & *Assibus Librariis* unice tribuit. Similiter & Paulus ex Festo, ut Hic ex Verrio Flacco, exponit *Contrarium Æs* per *Æs Grave*, cujus rei ratio nulla utique est alia, quam quod hoc propric *appendi* solerct, & in libra ponderibus *contra* opponi.

At

Nam si *Grave Æs* Festo nihil notaret, nisi simpliciter Æs Assium qualiumcunque, sive libralium, sive uncialium, tunc utique vox *Contrarium* non exponeretur, quæ tamen sola exponi ista in phrasi debebat; eaque est causa, quare hæc phrasis in litera potissimum C, & voce *Contrarium*, explicetur. Taceo, quod ineptissima foret interpretatio, quæ nihil aliud diceret, quam *Contrarium Æs est æs*: ut & quod nulla dari queat ratio, quare Unciales seu Semunciales Asses dicerentur *Contrarium æs*, quod *Grave* illud *Æs* Assium Libralium, & *appendi* ideo solitum, rectissime dici poterat. Disertius adhuc idem Festus, *Grave Æs dictum a pondere, quia deni asses, singuli pondo libras, efficiebant denarium ab hoc ipso numero dictum. Grave* illud ergo fuit proprium assibus, qui *singuli libras pondo* pendebant. Sic hæc sunt explicanda; Neque enim *Libras* Genitivus est obsoletus, quod vult

Dacerius, sed Accusativus Elliptice constructus, ut multis & certis exemplis clarissime docuit Gronovius Pater Pec. Vet. I. 6. Porro Idem. *Pendere pœnas, solvere significat, ab eo, quod Aere Gravi quum uterentur Romani, penso eo, non numerato, debitum solvebant. Unde etiam pensiones dictæ.* Etiam hinc liquet *Grave Æs* fuisse illius maxime temporis, quo debita *pendendo* potius ære, quam *numerando*, solvebant, seu illud Æs fuisse ejus generis, ut potius in solvendo *penderetur*, quam *numeraretur*: sed &, fuisse quondam tempus, *quo ære Gravi uterentur Romani*, fuisse ergo etiam tempus, quo non amplius eo uterentur. Jam vero illa diversitas temporis necessario utique ponenda in eo, quod primum Romani Assibus libram pondo pendentibus, ac dein iis imminutis multum, usque in semunciam, uterentur. Adde his Donatum ad Terentium

Phorm.

Phorm. I. 1. 9. ad vocem *Unciatim : Cum expensa pecunia ferretur more veterum, non, ut nunc, annumeraretur*, Assis *libra erat, ejusque partes* Unciæ: ut & Isidorum, qui Origin. XVI. 17. relegat *Grave* Metallum ad Rude, & *Signato* etiam Libralium Assium opponit. Nam ait, *Signatum est, quod in Nummo est; Infectum, quod in massis est, quod & Grave dicitur, id est, massa.* Sic & Servius ad Virgil. Æn. VI. 861. *Ære Gravi donatus est, i. e. massis. Nam sic & Livius Argentum Grave dixit, i. e. massas.* Denique & illud validi argumenti loco est, quod *Æs Grave* apud Veteres Scriptores fere semper (nam paucissima sunt loca, in quibus hæc phrasis de seriore tempore occurrit) de rebus illius temporis, quo Asses fuerunt adhuc librales, vel forsan jam sextantarii, adhibetur. Nam si summam æris qualiumcunque Assium etiam Le-

viorum, vi suæ significationis notaret, nulla tum foret ratio, quare non etiam sæpe, immo longe sæpius, de rebus istius temporis, quo asses jam fuerunt imminuti, adhiberetur. Tanto magis, quoniam tunc argentei nummi jam erant frequenti in usu, quibus unice phrasin hanc *æris gravis* oppositam censet Vir Doctissimus, adeo, ut putet, minus recte aut proprie Auctores tunc maxime loqui, quando tempori, quod ante signatum argentum fuit, hanc locutionem tribuunt. Nam ait pag. 62. *Appellationem* Æris Gravis *non ante ortam, quam Argentum & Aurum signari cœpissent. Hinc*, pergit, *cum Scriptores* æs grave *assignant priscis temporibus, quibus nondum alii nummi, quam Ærei, in usu erant; non est existimandum, jam tum revera Aes aliquod exstitisse, quod* Grave *diceretur; sed ita statuendum, eos Scriptores pro temporum suorum ratione loqui, & epitheton* Grave *voca-*

bulo

bulo æris *ob dictam jam, ante, Rationem adjungere. Ratio* illa erat; ut significaretur, solutionem vel factam, vel fieri debere, æreis nummis, non argenteis, licet argentei tunc nondum essent. Unde consequatur, Scriptores ergo, de isto tempore ita locutos, prorsus perperam, h. e. de antiquis temporibus male *pro suorum temporum ratione, locutos.* Et certe turpissima & incredibilis hæc fuisset Scriptorum negligentia, cujus nulla prorsus excogitari possit ratio: Eos de illis temporibus toties adhibuisse hanc phrasin, in quibus nullam illa habere posset significationem, quippe quum nulla tunc statui posset oppositio ad argentum, quod nondum exstabat. Sed quis non videat hæc omnia collabi penitus, si consideret, istam phrasin tribui tamen ab omnibus isti Potissimum, immo absque paucissimis esset locis, dicerem, Unice, isti, inquam, tempori, quo nondum argentei exstiterunt

num-

nummi, & quo Asses adhuc erant Graviores, libram pondo pendentes, quum si hæc locutio nihil notaret, nisi oppositionem illam ad argenteos nummos, seu *restrictionem ad æreos*, debuisset ea longe frequentioris fuisse usus post signatum jam argentum, quando demum inventa fuisset, & aliquid ex Viri Doctiss. sententia significare potuisset.

X. Spernit tamen hæc omnia Vir Doctissimus, & nullam insuper agnoscit temporis diversitatem, nisi quam modo dedit, respectu Æris Gravis; certe non illam, quam probavimus ex Veteribus, ut *Æs Grave* notet æs antiqui temporis potius, quam posterioris; immo ipsam ille Veterum auctoritatem, vel contorquet ideo perversis interpretationibus, vel rejicit: Plinii *locum nondum a quoquam Doctorum Virorum recte intellectum & expositum* ait. *Neque enim Æris Gravis appellationem referri ideo ad asses Libra-*

brales, *quod illis Propria fuerit*, *neque in alios asses minoris ponderis cadere potuerit*, *sed quod eo tempore nondum alios asses*, *quam librales*, *Roma viderat*. Deinde quod *appensos fuisse dicat asses librales*, *respexisse Eum ad summas pecuniæ majores*. *Eandem* porro *interpretationem accommodandam Festo in V. Pendere*. Nam *nisi* Penso *ibi referas ad Summas Pecuniæ grandiores*, *verba ejus ineptum prorsus sensum habitura*. Ast apud Plinium manifeste satis Epitheton *Gravis* Æris ad *Librales* Asses refertur, ut illis Proprium, quippe qui longe gravioris utique ponderis erant, quam postea Semunciales, & qui ideo potissimum *appendebantur*. Etenim ex hisce Verbis *Librales appendebantur asses*, duo elicit ipse Plinius, per nexum voculæ *Quare*. Prius ex voce *Librales*, scilicet, quod *Gravis Aeris pœna* fuerit dicta ideo, quia constituta & sancita fuerit in ære, quando asses adhuc erant gravis illius

pon-

ponderis, ut libram integram penderent. Nam si simpliciter voluisset dicere, olim Nummis æreis tantum usos fuisse Romanos, subjecisset & eduxisset inde, *Quare Aeris Pœna dicta*; Prout etiam loquuntur antiqui illi Tabularum XII. Auctores, apud Gellium XX. 1. *Viginti quinque Æris Pœnæ sunto*. Postremum hoc refert & ipse Vir Doctiss. pag. 62. 63. sed incusat istic jam alios Auctores, quasi parum accurate, ut modo ostendimus, & *ex more sui temporis* locutos, quando in rebus illius temporis, quo nondum signatum erat argentum, adhibuerunt istam *Gravis Æris* appellationem, quum eâ solutio, omnino in æreis tantum nummis qualibuscunque facienda, denotetur, sola autem *Æris* appellatione etiam argenteis nummis solutio facienda intelligi possit; unde sequatur, in rebus antiqui illius temporis, quo solutio non poterat nisi

nisi in Ære fieri, incassum plane & inutiliter *Æs Grave* memorari: sed & Leges XII. Tabb. ideo *solo Æris nomine, sine Epitheto Gravis*, defunctas censet. At vero mira est hæc Accusatio, quasi Auctores ipsi nescierint, quid posteriori tempore, cui tamen unice originem debebat isthæc appellatio, *Aes Grave* notarit, certe id per summam vel inscitiam, vel negligentiam, transtulerint ad res antiqui temporis, in quibus nullum plane locum, nullamve significationem, haberet. Exemplo sit Livius, qui creditur recto illo sensu, ex opinione Viri Doctissimi, *æs grave* adhibuisse XXXII. 26. scil. ut opponeret illud argenteis nummis. At idem, licet neutiquam ignorarit, quando argento signato uti cœperint Romani, immo ex professo id suis ipse in Historiis memoriæ prodidisset, ut ex Epitome XV. liquet, tamen sæpius in primæ Decadis Libris, atque adeo in re-

rebus superioris temporis, mentionem fecit *æris gravis*, sine ullo, si Viro Doctissimo credimus, sensu, quippe quum palam sit, nondum signato argento non potuisse aliter solutionem fieri, quam ipso ære, & inepte prorsus tunc moneretur eam factam æreis nummis, non argenteis, idque talibus maxime in locis, ubi *argentum nondum signatum fuisse* diserte insuper memoratur. Veluti IV. 60. *Quia nondum argentum signatum erat, Æs grave plaustris quidam ad ærarium convehentes, speciosam etiam collationem faciebant.* Et X. 46. *Aeris Gravis transvecta vicies centies millies & quingenta triginta tria Millia, Argenti Pondo Mille trecenta triginta.* Quem in his usum habere jam potest Vox *Gravis*, si id notet, quod Vir Doctus voluit? Non certe opus ullam in partem erat monere isthoc Epitheto Lectorem, Æs illud de ipso ære, non argento signato, intelligen-

gendum, quum diserte in priore loco dicatur, *nondum fuisse* tunc *argentum signatum*, & in altero designentur ideo *argenti* pondera? Quanto his concinnius jam est, & vero similius, immo verius, *Aeris Gravis* appellationem ortam tunc demum, quando ex Ære Sextantarii, & Leviores etiam, Asses cudi cœperunt, quum antea Asses fuissent Librales, & reliqui ex Ære Nummi respondissent ipsis Libræ partibus & rationibus. Hinc ergo Conditores XII. Tabularum solius *Aeris* vocem adhibuisse, quia nullum etiamdum erat in Nummis Levius Æs, a quo illud *Grave* distingueretur proprio Epitheto: at Scriptores posteriores, factis jam levioribus ex Ære Nummis, addidisse aliquando Æri Epitheton *Gravis*, ut Lectoribus suis in memoriam revocarent, summas ab se expressas, non de levioribus illis Assibus, tunc usitatis, sed de antiquis Libralibus, seu de ipsis Libris Æ-

ris,

ris, intelligendas: vix autem unquam usurpasse Eos hoc Epitheton in rebus sui temporis, quia tunc ex usu communi sublatum jam esset illud *Grave Æs*, quum ea locutio ceteroquin illo tempore vel maxime, ut modo diximus, usurpari debuisset, si solam in ipso ære solutionem notaret, quoniam isto tempore pleraque argento jam solvebantur, quod illo tempore, in quo *Grave Æs* apud Scriptores vel præcipue & ferme unice occurrit, fieri non solebat, nec poterat, quippe nondum adhibito tunc in commerciis argento.

XI. Alterum, quod ex Verbis, *Librales Asses appendebantur*, elicitur ab ipso Plinio, respicit Verbum postremum. Sequitur enim, *Et quare adhuc Expensa in Rationibus dicuntur*, ut & *Impendia*, *Dependere*, immo & *Militum Stipendia*, ac *Dispensatores*, *Libripendes*, denique *ex qua consuetudine*, ortum, ut *in emptionibus mancipi etiamnum Libra in-*

interponatur. Clarissimum exinde, tempori *Gravis Aeris* proprium fuisse *appendi æs*, secus quam fuit factis jam assibus Levioribus. Quod ipsum disertius affirmat Festus, inde repetens phrasin *Pendere pœnas*, quod *Aere Gravi quum uterentur Romani, Penso eo, non Numerato, solverint.* Sed excipit Vir Doctus, *Plinium respexisse ad summas pecuniæ majores*: sed & Festi verba, *nisi referas ad summas pecuniæ grandiores, ineptum prorsus sensum habere*; sequi enim ceteroquin ex iis, *Asses nunquam Numeratos fuisse, sed semper Appensos, etiam in summis minimis*, quod falsum & ineptum putat. At vero, si hæc esset mens Plinii & Festi, quam ille vult, tum utique ab iis de Assibus Libralibus & Gravi ære aliquid quasi proprium illis diceretur, quod neutiquam esset illis Proprium. Nam etiam quum levioribus Assibus, immo quum Argento, *grandiores summæ* postea solverentur;

tur, quia omnes Nummi, etiam levissimi, ad certum pondus fuerunt facti, & quia Romani exiguos tantum habuerunt in argento nummos, quippe quorum maximus fuit Denarius nostris Schellingis respondens, idcirco credibile prorsus est, etiam tunc grandes valde summas, non numerando illos nummulos, sed in saccis appendendo, solutas. Sumamus ex. gr. summam tantum 9000 nostrorum Florenorum, quæ par est 30 millibus Denariorum Romanorum, vel 120000 Sestertiorum, quis nunc credet, talem summam, immo & longe majores, ipsis Denariis adnumerandis solutas, & non potius pondere appensis, *ad compendium scil. temporis & operæ faciendum*, ut ipse Vir Doctiss. loquitur; qui & revera ita videtur quoque sentire, dum sine ulla distinctione temporis grandiores illas summas commemorat, & in tota hac interpretatione *Gravis Aeris*, ejus respe-

respectu, nullam temporis diversitatem agnoscit, sed male. Nam certe apud Plinium & Festum, si quis animum advertat, manifestam plane reperiet illam diversitatem. Clarissime enim tribuunt Tempus Antiquum *Gravi Aeri appendendo*, & opponunt Posteriori, in quo ex illo antiquo tempore durent *Adhuc* Locutiones & Voces solæ, Rebus ipsis jam sublatis. In antiquo illo Tempore res ita gerebatur, ut a *pendendo* ære, in Rationibus *Expensa* dicerentur, Æs militibus tunc constitutum *Stipendium* vocaretur, Servi, qui Dominorum pecuniam tractabant, *Dispensatores* appellarentur; quæ Voces remanserunt dein in usu, *pendendi* more jam sublato. Ast unde tandem clarius liquere potest Plinium agere de Re antiqui temporis, quæ postea non amplius fuerit in usu, quam ex eo, quod ait, *ex qua consuetudine Etiam Nunc Libra interponitur?* Quæ enim, obse-

cro, est illa *Consuetudo*, nisi Antiqui Temporis, quo *Librales Asses appendebantur?* Quid sibi vult illud, *Etiam Nunc?* nisi tempore Pliniano in usu etiamdum fuisse rem tunc imaginariam, & a moribus istius temporis plane alienam, sed quæ originem traxit, & residua mansit, ex consuetudine antiqui tempus, cujus moribus illa res erat propria & plane congruens. Disertius etiam Festi verba tempus *Aeris Gravis appendendi* a posteriori tempore distinguunt, dum per Imperfecta antiquum tempus hoc modo designant, *QVUM Aere Gravi uterentur Romani, Penso eo, non Numerato, debitum solvebant*. Fuit ergo olim tempus, *Quum* illo *uterentur*, & postea tempus, Quum non uterentur, quando scil. jam leviores erant asses, nec amplius *Penso*, sed *Numerato*, Ære debitum solvebatur. Accedit ad hæc omnia jam auctoritas Varronis, qui lib. IV. L. Lat. in

in extr. de voce *Stipendii* agens, explicat prius *Stipem*, ac dein *Milites Stipendiarios* (ut paulo ante eadem ratione illic dicuntur *Aerarii) ideo*, scil. sic dictos, ait, *quod eam stipem* Veteres *Pendebant. Ab eo Ennium scribere, stipendia pendunt.* Et, *ab eodem aere Pendendo* dici *Dispensatorem, & in tabulis Expensum & inde primam Pensionem* &c. Subjicit deinde, *Per Trutinam solvi solitum, vestigium Etiam Nunc manet in aede Saturni, quod ea etiam Nunc, propter Pensuram, Trutinam habet positam.* Quid volumus amplius? Clarissimum utique ex eo, fuisse illud, *pendere Aes*, proprium antiquo tempori, in quo formatae sint ex Re ipsa usitatae etiam dein Voces, *Stipendium*, *Dispensator*, &c. immo Rem ipsam *solvendi per Trutinam*, quod olim fuerit *Solitum*, tempore Varronis in desuetudinem abiisse jamdudum, imminutis quippe jam dudum assibus, & sublato ex commerciis aere rudi, sed tamen

Vestigium ejus rei *etiam Nunc* (Varronis tempore) *manere*, ipsam scil. *Trutinam*, *propter pensuram* olim usitatam, *positam etiam Nunc in æde Saturni*. Tam liquida & aperta hæc sunt ad referendum *pendendi æris* usum ad antiqua tantum tempora, ut etiam Me Nugas nimio conatu acturum putem, si ulterius probatum id dare vellem, utque cœcum esse oporteat, & consulto quidem, qui in verbis & Plinii & Festi videre jam nolit distinctionem Temporis, & agnoscere, *Grave* hoc *Aes* referri ab iis ad solum illud Tempus, quo Asses erant *Librales*, & magis *appendebantur*, quam numerabantur.

XII. Sed ait Vir Doctus, *ineptum prorsus esse* & *non credibile*, *Asses Romæ priscis temporibus nunquam Numeratos fuisse, sed semper Appensos, etiam in summis minimis, veluti quum pisciculi aliæque res vilissimi pretii emendæ erant*. At vero agitur hic tan-

tantum de Assibus Libralibus, non de quibuscunque levioribus, ne incertus evadat controversiæ status. Ipsi vero huic Viri Docti argumento, & alteri Illustris Salmasii, pariter jam respondebo, quia ejusdem fere sunt generis. Censet enim & Hic de Usuris cap. XX. p. 570. &c. & de Modo Usur. cap. VI. p. 236. &c. male fecisse Plinium, Aliosque Veteres, qui *Aes Grave* dixerunt *appendi*, quum illud *Grave* diversum fuerit ab *Rudi Aere*, (quod tamen ex Ejus quoque sententia appendebatur) & notaverit proprie Asses Librales, seu Æs signatum; Hoc vero signatum fuerit ipsius Ponderis Nota, ut adeo inutile & ineptum plane fuisset illorum Assium pondus appendendo explorare & probare, quum ipsa eorum Nota id satis delararet, eaque causa unice esset illis impressa. At primum, ne de Verbo solo temere disputemus, largior lubens, etiam

Grave illud Æs dici aliquando *Numeratum*, & fuisse haud dubie Asses Librales quoque in emptionibus sæpe annumeratos. Diserte Livius IV. 45. *Indicibus dena millia Gravis Aeris, qua tum Divitiæ habebantur, ex Aerario Numerata.* Vix tamen putem, illa decem millia æris fuisse totidem singulis assibus vere adnumerata: sed potius, hanc summam ex variis ejus partibus seu massis, identidem appensis, inito librarum seu assium exinde numero, confectam. Porro ita Varro lib. IV. L. L. extr. *Nam quod Asses libram pondo erant, qui acceperant majorem Numerum, non in arca ponebant, sed in cella aliqua stipabant, i. e. componebant, quo minus loci occuparet, a stipando* stipem *dicere cœperunt.* Videmus hic *numerum majorem Assium, qui libram pondo erant.* Sed & sic apud Gellium XX. 1. ex Legibus XII. Tabularum, *XXV. æris pœna* in eos, qui alteri in-

injuriam fecerint, sancita, exponitur per *XXV. Asses*, quos improbus homo, L. Veratius, *ex crumena assium plena*, quam servus portabat, *Numerari statim secundum XII. Tabulas jubebat ei, cujus os manus sua palma verberaverat.* Denique quum habuerint tunc etiam minores ex ære nummos, *Sextantes*, *Quadrantes*, *Trientes*, *Semisses*, nullum poteſt esse dubium, quin in emptione vilium rerum Libra abstinuerint, & Nummos numeraverint. Apud Livium II. 33. legimus a plebe elatum Agrippam Menenium, *Sextantibus in capita collatis.* Habuerunt ergo singuli tunc tales seu nummos, seu particulas libræ æris, quæ sextam ejus partem penderent. Similiter III. 18. *In Consulis*, P. Valerii, in oppugnando Herdonio occisi, *domum plebes Quadrantes, ut ampliore funere efferretur, jactasse fertur.* Sic ergo & Asses exiguo numero in emptionibus haud dubie sine trutina

solvebantur, quum qualemcunque ponderis notam præferrent expressam.

XIII. Quare ergo Plinius ait, *Librales Asses appendebantur?* Nempe *As* & *Libra Aeris* olim idem erat, at postea, quum imminuti essent asses, nec amplius responderent singuli Libræ æris, cœpit tunc id vocabulum, ut oportebat, paulatim a Libra æris distingui, & ad æreos nummos proprie referri. Hinc olim *Assipondium* notabat ipsum unius libræ æris pondus. Varro IV. L. L. *Dupondius a duobus ponderibus, quod unum pondus Assipondium dicebatur, id ideo, quod As erat Libra pondus.* Et ita Plinius ait *Librale æris pondus imminutum*, pro, *imminuti Asses Librales*, quod proinde est idem. Hinc jam promiscue Tot *Libræ æris* & Tot *Asses* passim ponuntur. Sic in Gellii d. l. idem est *Aes Paucum* & *Paucitas Assium*, XXV. *æris* scil. libræ, & XXV. *Asses;* sed & in man-

mancipationibus *per Aes & Libram*, & *per Aſſem & libram*, ut loquitur Sueton. Aug. c. 64. Diſertiſſime Feſtus in v. *Rodus*: *In mancipando cum dicitur, Ruduſculo libram ferito, Aſſe tangitur libra.* Qua ex re colligendum, etiam Rude Æs, ſeu Ruduſculum, h.e. fruſtum librale, *Aſſem* dici. Certe hoc veriſimilius longe, quam quod inde elicit Feſtus, cenſens, *Rudus vulgo non modo pro ære Imperfecto, ſed etiam pro Signato* adhiberi. At *Rude æs* notat ſemper æs infectum & impolitum, atque ex natura ſua ac uſu conſtanti opponitur *Signato*. Iſta vero mancipandi in formula *As* reſpondet tantum *ruduſculo*, vel ſimpliciter *Aeri*, ut apud Varron. lib. VIII. L. L. *dicimus Aſſem tenentes, Hoc Aere, aeneaque Libra.* Adde Voluſium Mæcianum de Aſſe in extr. *In quas partes As dividitur, in has & Libra diſpenditur. Ita As quidem, ſeu de diviſione Solidi, ſeu de Pondere, ſeu de*

Numerata in ære pecunia, *agatur: Libra autem in Pondere*. Sed & huc pertinere, ac notandum omnino, reor, quod in triumphis, millibus Auri & Argenti non ſignati adſcribatur ſemper *Pondo*, at Æris iſtic nunquam, licet Rude æs ex hoſtibus æque caperetur ac aurum & argentum: porro autem excurrentes numeri ſupra millia Auri & Argenti ponantur in Genere Neutro, at Æris in Maſculino. Livius XXVI. 14. *Auri pondo ſeptuaginta fuit*, *argenti tria millia Pondo & ducentA*. XXXI. 49. *In ærarium tulit trecenta viginti millia Aeris*, *Argenti* 170000 *Pondo*. XXXIII. 23. *Tulit in triumpho ducenta triginta ſeptem millia QuingentOS Aeris*. XXXIV. 10. *Argenti infecti tulit quatuordecim millia Pondo*, *SeptingentA triginta duo*. Et, *Hic quoque tulit argenti Pondo triginta quatuor millia OctingentA*. Utriuſque rei quam quæſo dabimus rationem? Non aliam Ego

go certe invenio, quam quod antiquo tempore, quo Rudi ære vel maxime utebantur, non opus erat adscribi *Pondo*, quia hoc per se intelligebatur, quippe quum æs in solvendo appenderent, nec numerato ære uterentur in majoribus illis summis, nisi forte valde pauco ad eas explendas. Deinde in summis æris, sub Masculino excurrentis numeri, intelliguntur haud dubie *Asses*, non, ut Nummos, sed, ut Libras denotent. Nam sine dubio tot millia, immo centena millia, æris ex Hostibus capti non consistebant in Nummis Romanis, sed in Rudi ære, æque, immo magis, quam aurum & argentum, ut ex Inscriptione Duiliana liquet. Superest ergo hoc unum, ut *Asses* in illa quidem Ellipsi notaverint Romæ antiquis temporibus nihil aliud quam Libras æris, quum ceteroquin ea Vox adhiberetur etiam ad Mensuras, Hereditates, aliaque dividi solita; ut-

que tunc, quum in usu adhuc esset Æs Rude & Grave, significarit vox *Assis*, æque ac *Unciæ*, *Sextantis*, &c. ipsum Pondus, at postea demum, invalescente paulatim Ære Signato, & inprimis eo jam quoque imminuto, de Signato potissimum dici cœperit. Atque hinc explicandum jam illud Plinii, *Librales asses appendebantur*, h. e. Libræ Æris, quæ tum dicebantur quoque *Asses*, appendebantur in commerciis & solutionibus. Nam verum est, quod ait Salmasius, Æs Signatum nota qualicunque sui ponderis, vel cujus Pondus publice satis erat cognitum, appendi non fuisse opus. Quin Aristoteles diserte prorsus d. l. supra §. 3. *Characterem* seu *Notam*, quæ *declarabat* ipsum *pondus* metalli, *impressum* fuisse metallo ait, *ut liberarentur Homines ab Appendendo*.

XIV. Sed tempus est, ut præcipuum, cui implicita hæret tota fere hæc controversia, solvamus jam nodum,

dum, ac πρῶτον ψεῦδος ostendamus Virorum Doctissimorum. Existimant illi, simul ac res Nova in usum induci cœpit, abolitam statim penitus consuetudinem aut rem Veterem, quod secus se fere semper habet. Credidit ergo Salmasius, Rude æs in commerciis desiisse, quando æs signari cœptum; & ideo errasse omnes, qui *Aes Grave*, quod de solo Signato, sed Librali, intelligi vult, dixerint *appendi* solitum, & inde repetendum esse usum vocabulorum *pendere*, *expensa*, *stipendium*, &c. Pronunciat idcirco Plinii verba exhibens, *Hæc omnia esse falsa*, sed ipse in iis insignite errat. Etenim de antiquis rebus credere nunc utique debemus antiquis Scriptoribus, si consentiant, nec validæ sint rationes in contrarium, quæ rem, in quam illi consenserint, liquido refellant. Jam vero omnes, quiqui hac de re egerunt, *Grave Æs* olim fuisse ap-

pensum tradunt. Quæ jam ratio est, quare his fidem derogemus? Ipse ad Rude æs, quo ante Servium Romæ usos ex Timæo tradit Plinius, remittit omne illud, quod de *Ære pendendo* Veteres prodiderunt. Sed, ut solet ἐϰ βραδέως σπεύδειν, in eadem pagina 575. de Usuris, ad Janum mavult, quam ad Servium referri Æris Signati initia: nec cogitat, ut jam antea monuimus, ita ergo Romam, quæ utique longe post Jani ætatem demum fuit condita, nunquam habuisse *Æs Rude*, ex quo tamen ipse repeti vult significationes vocabulorum *Pendere*, *Dispensatores* &c. tum usum *æris & libræ* in mancipando, denique *Trutinam* in æde Saturni, *vestigium solutionis olim per trutinam factæ*. Sed si jam a Servio primum signatum fuit æs, ut Plinius affirmat, certum tunc est, Rude illud, quod olim solum erat, mansisse tamen etiam longe post

poſt in uſu: ſiquidem poſt Servii tempora uſque ad Legem Ateriam, ſeu tertium annum ante Decemviros creatos, mulctæ indicebantur ſolvebanturque adhuc ovibus & bubus, *quod neque æris adhuc, neque argenti, erat copia*, ut ait Feſtus in V. *Peculatus*; cui adde Gellium XI. 1. qui nos inſuper docet ex Varrone, etiam poſtquam ære jam ſolveretur multa, tamen Magiſtratus in ea indicenda retinuiſſe vocem *Ovis*. Rarior itaque etiam diu poſt Servium fuit æris, certe ſignati, in publico uſus. Et ideo mulctæ, poſt illud tempus, aliquandiu non ære tamen, ſed Ovibus & Bubus, ſolvebantur. Nihil itaque mirum etiam Rude æs manſiſſe in uſu. Sed & longe poſt eadem Servii tempora demum cœperunt exſiſtere illa, quæ a *pendendo Rudi* ſeu *Gravi ære* ſuam appellationem acceperunt, veluti *Stipendia* militum, quæ demum tempore Camilli conſtituta. Por-

Porro quis credet Dominos antiquissimis temporibus jam habuisse servos *Dispensatores*, quum vix singulos tunc haberent etiam Illustres Viri, a quibus illi proinde dicebantur in Singulari *Marcipor*, *Quintipor*, &c. Vide Plinium N. H. XXXIII. 1. Denique jura illa Mancipationum in Testamentis, Adoptionibus, Nexo, orta sunt longe post Servium, & haud dubie pleraque demum ex XII. Tabulis. Quod si verum, tum vero certum est, fuisse Æs, etiam postquam signari jam cœptum erat, *appensum*, adhibito *libripende* cum *Libra & ære*. Nam nisi ita etiam tunc esset factum, seu nisi *librâ & ære* emerentur res majoris pretii & momenti, ineptum foret, Legibus inutilem tunc eum *Libræ & æris* ritum, & adhibendi *Libripendis* necessitatem, præcipere in omni mancipatione & nexo, quo testarentur tenentes æs, se rem emisse *Hoc ære*,

re, aneaque libra. Vide Boethium ad lib. III. Topic. Ciceronis. Movere hæc debuissent Salmasium ad id potius, ut *Aes Grave* non ita distingueret ab *Rudi*, quam, ut adeo temere Auctores antiquos in re antiqua accusaret erroris. Nam quod ait pag. 572. *nullam fuisse rationem Rudis aris nominandi* Gravis, *cum Rude sit semper Grave*, inane est, quum hoc Epitheton distinctionis causa demum sit adhibitum tunc, quando Æs Levius Assium Uncialium &c. in commerciorum usum jam erat factum.

XV. Ante id tempus vigebat in commerciis Æs ponderis longe gravioris, sive Rude id esset, sive Signatum. Utrumque respectu imminuti æris dictum fuit postea *Grave.* Hoc autem ipsum, quia vel maxime in Rudi ære consistebat, & ideo appendi debebat, dicebatur idcirco etiam *Contrarium* a ponderando, ut supra ostendimus. Neque vero credi-

dibile eſt, quum primum Æs ſignari cœpiſſet, mox ea copia ſignatum, ut ſtatim ſolum, excluſo penitus Rudi, ad commercia etiam majoris momenti adhiberetur. Neque opus id erat, quum Æs Signati Aſſis nec pretio, nec ulla alia in re, differret primum ab Ære Rudi ejuſdem ponderis, quam quod Notam ponderis, ſive Numero, ſeu Pecudis figura, ut vult Plinius, haberet ſibi impreſſam, cui tamen dein alias paulatim Notas, veluti Roſtri Navis ac Jani Gemini, acceſſiſſe non equidem negaverim, ſed neque affirmaverim de Libralibus illis Aſſibus; licet ſciam, nonnullos haſce Notas ad ipſa Jani vel Saturni tempora jam referre. Mihi credibilius videtur, varias haſce figurarum notas in Nummis primum adhibitas, quando As ad Sextantem redactus, ad quod tempus diſerte Plinius has Notas refert, aut quando Argentum jam cœperat ſigna-

gnari, quippe in quo reperimus mox Bigas expressas, unde *Bigati* Nummi, qui jam antiquo tempore, & statim post B. Punicum II. in Triumphis apud Livium sæpe memorantur. Signatum itaque fuit primo haud dubie non plus Æris, quam quantum sufficeret ad quotidiana rerum vilium commercia: at *in emptionibus mancipi Libra interponebatur*, ut diserte ait Plinius d. l. seu ad emptiones & solutiones majoris summæ æs Rude maximam partem adhibebatur. Exemplo sit mulctatus aliquis X. millibus æris. Solvebat ille hanc summam variis massis multorum ponderum, quæ quot essent Librarum, in trutina explorabatur. Quicquid vero tandem toti summæ deerat, sed quod erat exiguum, id Assibus signatis explebatur. Sic Rude æs, & æs Appensum in libra, duravit apud Romanos in commerciis, etiam postquam æs signari jam cœperat, forsan etiam

am aliquandiu, postquam imminuti primum fuerunt Asses.

XVI. Hoc tamen quia incertum valde, ideo magna in hac quæstione de *Ære Gravi* nunc oritur difficultas. Nam etiam in rebus temporis post imminutos jam asses aliquandiu elapsi occurrit nobis mentio *Æris Gravis*, quo uno potissimum argumento nititur Viri Doctissimi Diatribe ad rejiciendam omnium Veterum ac Recentiorum constantissimam Æris istius de Rudi vel Signato Librali expositionem, & Ejus appendi in emptionibus rerum, quæ mancipi sunt, soliti traditionem. Quasi scilicet certissimum esset, Assibus imminutis, omne illud Æs Librale statim ex usu & commercio Hominum penitus fuisse sublatum, atque ideo necessum esset, ut *Æs Grave* in rebus posterioris temporis inventum, aliud quid, quam vulgo etiam a Veteribus creditur, vel potius

tius ut nihil notaret, nisi solutionem ipso ære aut æreis nummis factam. Difficultas hæc ex eo apud Me, qui non soleo ita temere quid affirmare, oritur, quod nescio rationes & circumstantias imminutorum assium, vel ut Plinius ait; *imminuti Libralis æris ponderis.* Nam nihil de hac re Livius, ne in Historia quidem Fabii Cunctatoris, ad cujus tamen tempora refert Plinius imminutionem Assium in Unciam, ac Festus in Sextantem. Plinius tamen ait in Sextantem redactum Assem B. Pun. I. *cum impensis Resp. non sufficeret, & ita quinque partes factas lucri, dissolutumque æs alienum;* Festus vero in V. *Sextantarii*, addit *populum liberatum ære alieno, & Privatos, quibus publice debitum solvi oportebat, non magno detrimento affectos.* Facile has circumstantias, sed quæ ad hanc controversiam non multum faciunt, percipio. Nam populus gravissimo poterat premi ære alieno,

no, dum multis millibus privatorum aliquid deberet; liberabatur autem eo, dum, quum deberet ex. gr. 600000. librarum æris, expediebat ſe, erogando tantum 100000. ex quibus 600000. novorum aſſium faciebat. Privati vero non magno afficiebantur detrimento, quia exiguum erat, quod ſingulis debebatur. Sic in Congiariis Cæſarum exigua erat ſumma, quam ſinguli percipiebant, & tamen pecunia, quam Caeſares in ea erogabant, exſurgebat in ſummam prorſus ingentem. Sed pone, me dediſſe mutua XII. millia librarum æris, ſeu aſſium, qui tunc erant Librales; paucisque annis poſt imminutos aſſes ex Libra in Sextantem. Quid? an non maximo tunc afficerer detrimento, ſi alter mihi debitum ſolveret XII. millibus aſſium, qui jam erant Sextantarii, quum hæc millia iſtorum aſſium conficerent tantum duo millia librarum æris? Sine du-

dubio hisce incommodis aliquid remedii primum adhibuere Romani, quod nobis nunc latet. Mihi in tanta rerum istarum caligine, quia conjectura agendum est, nihil vero propius videtur, quam imminutos illos asses relictos & deditos quotidianis rerum vilium commerciis usque ad certam pecuniæ summam, at in majoribus summis retentum Æs Grave, re ipsa primum per aliquot annos, at dein sola appellatione & significatione pristini pretii ad argentum comparati, donec indies magis, & inprimis post victum Hannibalem, incredibilem in modum per tot victorias ac triumphos invalescente apud Romanos argento, tota illa Æris ratio in majoribus summis solvendis, ac denique etiam illa ipsas summas ad *millia æris* redigendi consuetudo, paulatim fuit sublata & ferme exstincta. Recte Vir Eximius, Gronovius Pater, de Pec. Vet. III. 15. extr. *Credi potest*
usum

nsum Nummorum non sustulisse statim usum Massarum, ut ita Romani Æs Grave dixerint ejusmodi Massas, postquam Nummi pondus imminutum est. Sed putat illas tamen Massas ad pretium assium imminutorum tunc redactas, ita ut *Massa XX. Librarum valuerit* 240. *asses Unciales*, atque ita *X. millia æris gravis* si qui acceperint *post levatum pondus numismatum*, eos *accepisse tot millia assium*, tunc usitatorum, *sed in massis ejusmodi.* De posterioribus dubito, nec putem, libram æris pretio tantopere auctam uno momento, ut quum antea X. Libræ emerentur uno denario argenteo, statim imminutis assibus in sextantes, eædem emi deberent sex denariis, ac pluribus dein, quando etiam magis imminuti sunt asses. At nihil tamen valde miri in eo foret, si proportio pristina inter æs & argentum mutata quoque aliquantulum fuisset, quum tanta jam argenti copia undique in Ur-

Urbem inferretur, quæ antea nulla ferme erat, quando illæ X Libræ æris non ſuperabant pretium unius Denarii, qui tamen centeſima tantum, vel circiter, libræ argenti pars cenſetur. Videtur ergo iſtic Argenti pretium ad æs comparatum paulatim quoque debuiſſe aliquantulum imminui, & Æris increſcere, at non eo uſque, ut ſubito ſexta pars libræ æris rudis tantundem valeret, quantum modo ante integra libra. Sed nihil de ea re reperimus apud Veteres, & habemus exemplum ex Veteribus ipſis, unde liquet, in Ære ad majores ſummas exprimendas adhibito, proportionem ad Argentum, vel ejus proportionis ſignificationem, manſiſſe etiam poſt imminutos aſſes aliquandiu eandem, quæ fuerat antea, ut mox liquido demonſtrabimus.

XVII. Dicet quis forſan, abſurdum eſſe, ſi Æs ſtatuatur alio fuiſſe aliquandiu pretio in Num-

mis, alio in massis. At vero non ita diu hoc duravit, nec tamen adeo absonum id, aut insolitum erat Romanis, quum & in ipsis Nummis tale quid reperiamus. Nam & *Denarius*, teste Plinio d. l. cum *sedecim assibus* jam *permutaretur*, *in militari tamen stipendio semper pro decem datus*. Ergo *Denarius* aliud vulgo, scil. sedecim asses, aliud in militari stipendio, decem scil. asses, valebat. Etiam hisce temporibus talia observare licet. Etenim in Germania Imperiales Thaleri diverso sunt in eadem regione pretio, alio in ipsis nummis, alio in rationibus computandis. Sed & apud nos Floreni Veteres sunt XXVIII obolorum, seu stuferorum, Recentiores, qui distinctionis gratia *Carolini* cognominantur, XX. tantum. Et Hi quidem invaluerunt quam maxime in Summis computandis & conficiendis, sed tamen idcirco Illi ex usu communi & commercio minime

nime sunt exclusi. Immo in Frisia etiamdum in Frumento, tum Terra Ustili, quam *Torfam* dicimus, ac Vaccis & Bubus vendendis, pretium indicatur Florenis simpliciter, sed quibus tunc intelliguntur illi Veteres, quos aliquando etiam *Simplices* vocant, quia proprium habent nummum, quem alteri ante XXX vel XL. annos non habebant; at Hi Recentiores in omnibus ferme aliis rebus, etiam in auctionibus supellectilium, adhibentur, & modo solo hoc nomine, modo *Caroli Floreni* appellantur. Sed & in Hollandia Hi ipsi suo *Florenorum* nomine frequentissimi sunt usus; Patrimonia Hominum, Prædia, Annua fere omnia, hac appellatione taxantur & exprimuntur; at Ordines, antiqui moris retinentes, in pecunia mutuanda aliisque in rebus *Pondera* vocant XL *Grotorum*, qui dimidio respondent stufero, licet populari in sermo-

 ne

ne nulla talia memorentur *pondera*, ſed alia quidem, quæ *Pondera Magna* vulgo perhibentur, & ſex valent Florenos, ſeu ſex minora illa Pondera. Si jam ita ſe res habet ipſis in Nummis, eorumve appellationibus, quanto minus novum aut incredibile haberi debet, aliud aliquando fuiſſe pretium ipſius metalli, aliud nummorum ex eo factorum. Cæſar traditur *Auro ita abundaſſe, ut ternis millibus nummorum* ſeu ſeſtertiorum *in libras per Italiam & provincias divenderet*, apud Suetonium cap. 54. At libra Auri reſpondebat ceteroqui quaternis millibus Seſtertiorum, quum eſſet ejus proportio ad argentum decupla, quadringenti autem Seſtertii facerent libram Argenti. Jam vero Aureus Romanorum nummus pendebat duas drachmas ſeu denarios, & tamen valebat XXV Denarios, quum ex decupla proportione deberet valere tantum XX. Unde manifeſtum e-

tiam

tiam Auri ſignati majus aliquando fuiſſe pretium in Nummis, quam erat Infecti in Pondere. Nec mirum, quum Principes paulatim, & maxime Nero, ante Plinii ætatem jam imminuerint lucri faciendi cauſa Aureorum pondus, ut teſtatur Plinius dicto ſæpius loco. Ita vero factum neceſſario, quum aureorum pondus imminueretur, & tamen pretium maneret idem, quod ante fuerat, ut paulatim ergo aliud evaderet pretium auri infecti, aliud ſignati. Sic igitur potuit utique etiam Æs Rude & Grave retinuiſſe ſuum pretium & relationem ad argentum priſtinam aliquandiu; & tamen Reſp. ut ſe ære alieno liberaret, quum multis millibus hominum deberet, feciſſe ex Libralibus Sextantarios aſſes certo numero; qui ſufficeret quotidianis vilium rerum emptionibus, & reliquiſſe iis eandem ad denarium argenteum relationem, quæ fuerat Libralium. Sic ipſa Reſp. quæ

 po-

poterat nummis præfinire pretium, quod vellet, multum inde, sed sola, in summæ necessitatis casu lucrabatur, dum, quibus debebat 600 asses librales, totidem solvit sextantarios, sed quos conficiebat ex solis 100 libris. Privati autem parum vel nihil detrimenti sentiebant, quum singuli non adeo magnam a Rep. summam acciperent, & asses sextantarii, quos acceperant, tantundem argenti valerent, quantum Librales. Quod si nunc certo tantum numero cudi curaverit Resp. illos asses, ne Urbs iis nimium obrueretur, & si præterea caverit, ne ultra certam summam hi ipsi asses in commerciis & solutionibus adhiberentur, tum vero nulla fuisset magnopere ratio, cur Æris Rudis pretium quoque mutaretur statim & augeretur. Inserviebat hoc, ut antea, gravioribus summis, & commerciis forsan cum exteris, usque dum Argentum omnia obtinuit, &

Æs

Æs ex commerciis majoribus penitus ferme exclusit. Ast hoc quando fuerit factum, incertum est, nec annotatum usquam, ut non solent annotari, quæ paulatim nullo publico decreto, sed tacita consuetudine, fiunt.

XVIII. Satis hæc Verisimilia videntur, & rectæ rationi consona. Nec quidquam ultra postulamus, quam ut probabile habeatur, quod statuimus, quando res antiquas & exteras, tacentibus ipsis ejus ætatis & gentis Scriptoribus, ex conjectura componimus & constituimus. At vero Certum est, *Æs Grave* a Livio & aliis memorari etiam illo tempore, licet rarissime, quo Librales Asses jam aliquandiu, ex sententia Plinii, fuissent imminuti. Certissimum etiam, *Grave* illud *Æs* ab omnibus Antiquis partim tribui antiquo potissimum tempori ante imminutos Asses, partim de Rudi ære appendi solito, & de Libralibus assibus, exponi;

 eam-

eamque in rem consentire nunc omnes Eruditos. Porro autem ipsa natura & significatio vocabuli *Gravis* exigit, ut interpretemur illud per distinctionem quandam ab re ejusdem generis Leviore. Denique convenit inter omnes iterum, & hoc certe non negabit Diatribes Auctor, fuisse revera prius Romanis in usu & commercio gravius Æs & Asses librales, at postea demum levius æs, & asses unciales, immo semunciales. Quid ergo possumus aliud ex his colligere, quam *Grave* illud *Æs*, post imminutos jam asses, mansisse aliquandiu in usu qualicunque, vel certe Auctores illud in Historiis istius quoque temporis memorantes per incuriam lapsos, immo solum forsan Livium uno in loco XXXII. 26. in addenda hac *Gravis* voce peccasse ipsum, aut ejus librarios: quod certe dicere mallem, quam *Grave æs* aliter interpretari, quam fert ipsorum

rum Veterum consensus. Sed tamen non opus, ut eo deveniamus: nec enim ita diu Grave illud Æs in ipsis commerciis residuum fuisse post imminutos jam asses statuimus, idque probamus ex Livio XXVI. 36. Suadent istic Consules, ut *Aurum, Argentum, Æs signatum, omne Senatores in publicum conferant, ita ut annulos sibi quisque, & conjugi, & liberis, & filio bullam, & quibus uxor filiæve sunt, singulas uncias pondo Auri relinquant: Argenti, qui curuli sella sederunt, equi ornamenta, & libras* (videtur hic excidisse numerus *duas* vel *tres*) *pondo, ut salinum patellamque Deorum causa habere possint; ceteri Senatores libram argenti tantum: Æris signati quina millia in singulos patres familiæ relinquamus.* Hic aurum & argentum omne, Factum & Signatum conferri jubent, at æs *Signatum* tantum, quod solum diserte ita definitur, seu exprimitur, quum sub auro & argento contineri etiam aliud, quam si-

Signatum, certe Factum, liqueat clarissimum in modum ex additis exceptionibus. Disertius id declarat ipse Livius XXXIV. 6. *Aurum & Argentum omne, a Senatoribus ejus rei initio orto, in publicum conferebamus; cautum erat, quo ne plus Auri & Argenti Facti, quo ne plus Signati Argenti & Æris, domi haberemus.* Manifestum & hinc, quum Aurum & Argentum etiam *Factum* conferretur, Æris tantum *Signati* collationem fuisse decretam, quia Factum æs quotidiani erat usus in supellectile. Signatum autem illud Æs, fuit haud dubie assium tunc usitatorum, seu jam imminutorum. Nihil quidem hac de re Livius, atque ideo quum nesciamus, quæ fuerit ejus de tempore, quo imminuti sint asses, sententia, certi etiam nihil habemus, quod in eo interpretando in hac re sequamur. Crediderim tamen Plinio, imminutionem assium primam B.

Pu-

Punico I. jam factam, atque adeo Grave Æs, hoc adulto B. Punici II. tempore, in commerciis jam ferme prorsus desiisse. Certe *Rudis* æris, aut alterius metalli, nullam his in locis Livius habet rationem. Sed & facile crediderim, non multum Rudis vel Infecti Auri & Argenti habuisse privatos, immo & ipsum Æs Rude & Grave mox post imminutos Asses cœpisse apud Privatos in desuetudinem re ipsa abire, quum invalescente indies argento Æs illud Grave oneri esset, quippe quod spatiosum requirebat locum ad servandam majorem ejus summam; unde olim in cellis dicitur fuisse stipatum, atque inde *stipis* nomine quoque insignitum. Taceo jam, quod plaustris etiam major ejus summa in solutionibus apportari debuerit. Verum ea tamen neutiquam impediunt, quo minus in majoribus summis conficiendis & efferendis manserit *Gravis Æris* ap-

pellatio, & pristina relationis ad argentum significatio, plane ut hodie quoque ad summas exprimendas adhiberi sæpe nummorum nomina, qui re ipsa non amplius exstant, modo ostendimus. Pone ergo post imminutos asses mansisse Grave Æs per XXV. annos, aut amplius, qualicunque in commercio, prout opulentiquique plus minusve istius æris adhuc possidebant. At dein quia invalescebat jam in commerciis argenti usus majorem in modum, necessario pene sequi id debuit, ut molestum illud gravis æris onus paulatim plane abjiceretur; sed tamen quia Censores ære illo adhucdum censebant Civium bona, & Magistratus mulctas eodem ære taxabant, sic factum, ut Romani in majoribus summis retinuerint ejus quoque appellationem, & ad istius æris rationem summas illas redegerint, sed cum significationis diversitate quadam ab ære tunc signa-

gnato, si ad argentum utriusque æris summa reduceretur. Etenim *Æs Grave* retinebat suam relationem ad argentum, scil. ut X. asses ejus responderent uni denario, quum Æris tunc signati XVI. asses id facerent. Sic itaque, si cui decreta essent decem millia *Æris gravis*, accipiebat is mille denarios, at sexcentos & XXV. tantum, cui ea *Æris* tunc signati summa esset decreta. Hac in re consistit totius quæstionis solutio. Neque vero sequitur, quia in summis illis nominatur *Æs*, ergo solutionem etiam ipso ære factam, non magis quam omnia hominum bona, quia *Ære* censebantur, constitisse in solo & vero ære: Nec magis, quam, cum Lex Valeria *creditoribus quadrantem solvi* tantum jussisset, ut ait Vellejus Paterc. II. 23. solutionem istius *quadrantis* sola ærea pecunia fuisse factam, quia Sallustius Catil. cap. 30. ad eandem rem respiciens dicat, *propter magnitudi-*

nem æris alieni argentum Ære solutum est. Disertissimum hoc quidem videri possit; neutiquam tamen voluit Sallustius, omne æs alienum a debitoribus, æreis proprie nummis, fuisse solutum; sed idem, quod Vellejus, quarta debiti parte solvenda expedivisse se debitores, quum præcipuus æris nummus, scil. As, quarta esset pars Sestertii, qui præcipuus in argento erat nummus, & ideo ad summas in argento conficiendas adhiberi tunc solebat, sicuti olim in ære As. Hinc ergo jam liquet, quare Livius in hac collatione anno nono B. Punici II. facienda, nullam rationem habuerit aut mentionem fecerit *Æris Gravis*, quippe quod re ipsa tunc in manibus hominum vix amplius superat, & tamen fecerit etiam postea istius æris mentionem in majoribus summis, quia tales summæ, licet argento jam potissimum solverentur, tamen ad ejus Æris rationes adhuc con-

conficiebantur, in quibus plus argenti valebat Grave Æs, quam illud, quod tunc ſignatum, & uſitatum in commerciis, erat.

XIX. Duravit hoc uſque dum tandem, ut dicere cœpimus, argentum prorſus jam invaluiſſet. Tunc enim & deinceps omnes fere majores ſummæ ad ſeſtertios, qui nummi erant argentei, redactæ, pretia rerum majora ſeſtertiis definita, ſolutiones ipſæ argento factæ, quæ omnia antea Ære fieri ſolebant: unde Bello Punico II. Civium patrimonia cenſebantur adhuc multis *millibus æris*, haud dubie *gravis*, ut ad ea uſque tempora fieri ſolebat; ex quibus tunc imponebatur ſingulis onus præbendi nautas cum eorum ſtipendio: Audiamus Livium XXIV. 11. *Quum deeſſent nautæ, Conſules ex SCto edixerunt, ut qui L. Æmilio, C. Flaminio, Cenſoribus* (qui fuerunt proxime ante hoc bellum) *millibus æris quinqua-*

quaginta ipse aut pater ejus census fuisset usque ad centum millia, nautam unum cum sex mensium stipendio daret; qui supra 100000 *usque ad trecenta millia, tres nautas cum stipendio annuo; qui supra* 300000 *usque ad Decies æris, quinque nautas; qui supra Decies, septem.* Videmus hic censum adhuc fieri more prisco per *millia æris*, usque ad *decies centena millia æris*. At cujus æris? Haud dubie illius, quo priores Censores in taxandis summis fuerant usi. At illi *Gravi ære* censebant suos Cives, quum aliud tunc nullum haberent. Neque vero dubito, quin & sequentes Censores aliquandiu, etiam tempore Catonis Censorii, ut mox videbimus, eodem Ære summas expresserint, usque dum *Sestertiis* census Senatorum, Equitum, &c. taxaretur, id quod postea factum satis constat. Sed nulla ex re clarius, quam ex Triumphis, liquet, quomodo

pau-

paulatim Æris usus locum cesserit Argento. Etenim apud Livium legimus in prima Decade, quot millia Æris ex præda hostili in Triumpho fuerint ostentata, & in ærarium condita. Cœpit dein etiam argentum, sed minore summa, istic exhiberi. Vide Livium X. 46. ubi primum in Triumpho Papirii reperitur captivum *argentum*, sed multo plus *æris*, at in ejus Collegæ triumpho nihil *argenti*, at *æris* 390000 memorantur. Sic & in Duiliana Inscriptione reperimus pauxillum *auri*, plus *argenti*, utrumque in *Nummis*, at *capti æris* 2100000. Gravis hæc omnia fuerunt æris, seu libralis, extra controversiam. At in tertia jam Decade Livii, seu in B. Punici II. Historia, habemus Triumphos, Fabii de Tarentinis, inque eo multum *auri*, & ingentem *argenti* facti signatique vim, *æris* nihil, Liv. XXVII. 16. tum Neronis & Livii, in quo primum

Se-

Sestertii memorantur, eorumque tricies centena millia, *æris* vero tantum 80000. Liv. XXVIII. 9. Hanc ipsam æris summam, si de Assibus Uncialibus interpretemur, tum vero retulissent illi librarum æris tantum paulo plus 6660, si de semuncialibus, qui jam tunc cusi creduntur, paulo plus 3330. quod nimis exiguum, quum in sestertiis retulerint librarum argenti 7500. Et tamen hanc ipsam argenti summam Polybius plus sesquialtero auget. Similiter P. Scipio, capta in Hispania Carthagine nova, multum inde *auri* & *argenti*, at *æris* nihil collegit, Liv. XXVI. 47. Neque in ejus reditu ex Hispania, ulla *æris* mentio apud Liv. XXVIII. 38. ut neque in triumpho Africano, Liv. XXX. 45. Immo nullum deinde *Æs* in Triumphis latum reperitur in ærarium, nisi ex bellis de Gallis Cisalpinis, Bojis, Liguribus, Insubribus. Vide Livium XXXI. 49. XXXIII. 24. & 37. at in reliquis

quis deinceps triumphis ex Hispania, Macedonia, Illyrico, & ipsa dein Gallia, nihil *aris* relati exstat. Sed & sic in donativis, quæ militibus in triumphis prædæ hostilis nomine dabantur, memorantur nobis semper libræ *aris* vel *asses*, usque ad illum L. Scipionis ex Asia apud Livium XXXVII. 59. ubi primum *Denarios* habemus certo numero singulis militibus datos, quod dein fere semper itidem factum videmus.

XX. Manifestum jam satis ex iis, quæ diximus, *Æris* usum post B. Punicum II. paulatim ex majoribus commerciis sublatum, majoresque summas ab ære ad argenteos nummos redactas, atque ita sensim *Æs* illud *Grave* non modo re ipsa, sed etiam in summis pecuniæ nominandis, tandem abolitum. Mansisse tamen aliquandiu *Æs Grave* qualicunque in usu, certe apud Censores in magnis pecuniæ summis exprimendis, idque Æs intelligendum in summis aliquot

mil-

millium æris, etiamsi Vox *Gravis* non addatur, usque ad censuram Catonis Majoris, post bella cum Philippo Macedoniæ, & Antiocho Syriæ, Regibus gesta, liquet ex Livio & Plutarcho inter se collatis. Etenim Livius ait XXXIX. 44. Catonem Censorem in censum referri jussisse *ornamenta*, *mundum muliebrem*, *&* *vehicula*, *quæ pluris quam quindecim millium æris essent*. Eadem Plutarchus in Catone illo referens, summam istam per drachmas ita exprimit, ὧν ἑκάστου τὸ τίμημα δραχμὰς χιλίας καὶ πεντακοσίας ὑπερέβαλλεν, *quorum singulorum pretium drachmas*, seu *denarios*, *mille quingentos superabat*. Hi *Mille quingenti denarii* faciunt ipsa *quindecim millia æris* gravis, at assium uncialium vel semuncialium 24000. Sed & illa *quindecim millia æris* apud Livium, si de leviori ære interpretemur, ne mille quidem denarios inde conficiemus, seu tantum 937 & di-

dimidium. Videmus hinc, ex ſententia ipſius Plutarchi, qui res Romanas diligenter inveſtigavit & conſcripſit, pluresque Auctores vidit & legit, quam ad nos pervenerunt, iſthæc *quindecim millia æris* apud Livium accipienda de *Ære Gravi*, licet nulli forſan ejus Nummi tunc ſupereſſent, nec illud Æs in commereiis amplius adhiberetur: atque adeo etiam tunc in ſummis majoribus aliquot millium æris, etiamſi non addita ſit vox *Gravis*, Grave tamen æs intelligi ſolere, & ita, ut rectâ, ſicut ante imminutos aſſes ſolebat, X Libræ æris gravis etiam tunc reſponderint uni Denario: non autem, ut Numerus iſte tot millium accipiendus ſit de Aſſibus imminutis, ſed quorum ſumma ſit ſolvenda in maſſis æris gravis eo pondere, quod exoriatur ex illo numero aſſium imminutorum, h. e. ut quindecim millia æris ſeu aſſium ſemuncialium ſol-

ſolvantur 625 libris æris gravis in maſſis.

XXI. Sed & , quæ diximus, confirmantur vel maxime ex eo ipſo, quod reperitur apud Auctores Priſcos in rebus antiquioris temporis, poſt imminutos paulo ante aſſes, diſerta *Æris* adhuc *Gravis* mentio, ſicuti viciſſim ex ſuperioribus confirmatur vera ejus ſignificatio in illis Locis, ſcilicet, ut in majoribus certe ſummis, eo etiam tunc pretio ad argentum comparato, adhibitum fuerit, quo antea fuerat. Et tamen illo vel maxime argumento nititur Doctiſſ. Diatribes Auctor, ad rejiciendam receptiſſimam de *Gravi Ære* Levioribus Aſſibus opponendo ſententiam: quaſi ſcilicet poſtquam facti erant leviores Aſſes, neceſſario ſtatim deſiiſſent penitus in commerciis majoribus, immo & in ſummis conficiendis, Libræ æris, quæ per *Æs Grave* ab omnibus (niſi quod Salmaſius proprie ad Signa-

gnatum æs Libralium tamen Assium id retulerit) intelliguntur; & proinde ex talibus locis liqueat, *Æs Grave* aliud quid olim notavisse. Utitur hanc in rem auctoritate Senecæ Philosophi, qui duobus locis, Natur. Qu. I. c. ult. & Consol: ad Helviam c. 12. tradit, *Scipionis Filias a Senatu in dotem æs grave accepisse*. Istic, ait, *non possunt intelligi Asses Librales per æs grave, qui Romæ tunc jam desierant*. Ergo intelligi debent *alii asses minoris ponderis tunc temporis Romæ usitati*. Sed primo, non debuisset Vir Doctiss. ad convellendam rem antiquissimi temporis tot aliis Auctoribus auctoritatem Senecæ potissimum opponere, quippe qui alia semper tractans, ad ea illustranda adfert plerumque ex memoria quædam antiquioris Historiæ exempla, sed in quibus sæpissime hallucinatur. Ne longe abeamus, loquitur posteriore loco ita de Scipione, ut videatur credidisse, vel tunc saltem co-

cogitasse, Scipionem eum fuisse Africanum, quod monuit jam Lipsius, cum fuerit Cn. Scipio, Africani Patruus, ut ex Valerio Maximo, Frontino, Zonara, aliis constat: & ut appareat satis, nullam certe temporis eum habuisse rationem. *Æquum mehercules erat*, ait, *Populum Rom. tributum Scipioni semel conferre, cum a Carthagine semper exigeret.* Nihil hæc pertinent ad Cn. Scipionem, qui utique ante victam Carthaginem in Hispania periit, sed respicere omnino videntur Scipionem Africanum, qui Carthaginem adegit ad tributum Populo R. non tamen *semper*, nec in perpetuum, præstandum. Nullum ergo eo certe tempore, quo Senatus dotem decrevit Cn. Scipionis vivi Filiabus, *tributum a Carthagine Populus R. exegit*, multo minus id *semper* tunc jam facere, dici potuit. Sic sequenti statim capite idem Seneca *Aristidem* ad supplicium ductum

tra-

tradit, atque alia addit, quæ omnia non in *Ariſtidem*, ſed in *Phocionem* conveniunt, ut idem Lipſius jam annotavit. Deinde non ſatis certum eſt tempus imminutorum Aſſium, & utrum imminuti vere jam fuerint tempore Cn. Scipionis. Plinius quidem affirmat tempore Hannibalici belli, & Fabii Dictatoris, factos aſſes Unciales, & mutatam ſimul eorum relationem ad argentum, ut Denarius deinceps non decem tantum, ut antea, ſed ſedecim jam valeret Aſſes. At incerta eſt hæc temporis circumſtantia, quia Feſtus ſimpliciter ad Tempus iſtius Belli demiſit primam aſſium imminutionem in Sextantes, & Livius nullam prorſus tantæ rei fecit mentionem, licet ſæpe anguſtias ærarii, & publicas iſtius temporis neceſſitates, & quam magno animo iis ſubventum ſit, expoſuerit. Vide Eum XXIV. 18. & XXVI. 36. Hæc movere quem poſſent ac deberent, ne no-

vam adeo & absonam sententiam contra Veterum ac Recentiorum auctoritatem in medium proferret.

XXII. Sed nos his non utemur, quum satis superque ostenderimus supra, Æs illud Grave, seu Librale, non videri ex usu publico in summis majoribus exclusum illo statim die & momento, quo leviores asses in publicum fuerunt prolati, certe nullam esse rationem, quæ nos id statuere, atque ideo *æs grave* alio sensu, quam ipsi Veteres volunt, accipere postulet. Immo vero contrarium ex his ipsis Senecæ locis, seu, *Æs Grave* tempore illius Scipionis, licet forsan imminui jam tunc cœpissent Asses, mansisse tamen in usu, saltem ad æstimandas majores, veluti patrimoniorum, dotium, mulctarum, præmiorum &c. summas, ac simul fuisse proprium antiqui temporis, deberet colligi, si animus recte attenderetur. Clarissime enim *Æs* illud *Grave* antiqui

qui temporis opponit ille utroque in loco opulentiæ & luxuriæ sui temporis. In priore invehitur in luxuriam, qua *speculum unum pluris* tunc *constabat femina, quam Antiquarum fuit Dos illa, quæ publice dabatur Imperatorum Pauperum filiabus. An tu existimas*, pergit, *ex auro nitidum habuisse Scipionis Filias speculum, quum dos illis fuisset Æs Grave?* At quæ, obsecro, vis argumenti in eo; quod Scipionis Filiæ non habuerunt tale speculum, quia acceperunt dotem simpliciter in ære? An ære non potuerunt, ut omnia alia, sic & aurum ac argentum, & ex auro nitida specula, comparari? Quid multa? Nullum est argumentum in verbis Senecæ, nisi intelligamus, statuisse illum, *Æs Grave* fuisse proprium *antiqui* illius temporis, quo paupertas erat fere omnium communis, luxuria ignota, argenti primo nullus, dein rarissimus adhuc usus, quo severitas & frugalitas vigebant,

quo Patricius, Consularis, Dictatorius Vir Senatu movebatur a Censoribus, quod X. pondo argenti facti in supellectile sua haberet. Voluit itaque Seneca, minime esse credendum *antiquas* illas feminas, quæ vivebant, quando dotes adhuc dabantur *Ære Gravi*, quæ tunc insuper erant exiguæ, ut observat ipse Valer. Max. IV. 4. 10. habuisse specula ex auro nitida. In altero loco commendat Seneca paupertatem priscam, dicitque tandem, *Beatioresne istos putas, quorum pantomimæ decies Sestertio nubunt, quam Scipionem, cujus liberi a Senatu in dotem Æs Grave acceperunt? Dedignatur aliquis paupertatem, cujus tam claræ imagines sunt?* Opponit hic paupertatem priscorum, & opulentiam suorum æqualium, probatque hanc ex dote *Sestertii decies*, illam ex dote *Æris gravis*. At nullam Hujus addit summam, quæ opponeretur, ut oportebat, summæ *sestertii decies*,

cies, quia sola *Æris gravis* mentio declarabat satis ex Senecæ sententia tenuitatem dotis. Si quis hæc de quocunque *ære* dici etiam posse censeat, minus is recte censebit. Fateor quidem, etiam *æris* cujuscunque summas fuisse magis in usu olim, etiam illo tempore, quod magis antiquum & frugale magis erat, quam illud Senecæ. At *Æs Grave* erat temporis, ut illo antiquioris, ita longe frugalioris & pauperioris. *Tum divitiæ habebantur X. millia gravis æris*, Liv. IV. 45. Tum fictilibus vel ligno cœnabant Viri Triumphales, in scamno ad focum sedentes, suisque manibus rapa in favilla versantes. Quin si comparentur apud Livium ante & post Bellum Punicum II. census patrimoniorum, prœmia Indicibus decreta, mulctæ noxiis indictæ, donativa militibus in triumpho data, & similia, satis superque apparebit diversitas utriusque temporis, secundum quam po-

posterius illud reperietur longe opulentius priore, licet vicissim longe superetur opulentiâ istius temporis, quo vixit Seneca. Manet ergo satis certum, *Ære gravi* potissimum declarari apud Senecam tenuitatem ejus dotis, idque adeo, ut summâ expressâ, aut aliter, declarari eam non fuerit opus.

XXIII. Sed aliam ex Verbis Senecæ difficultatem nobis movet Vir Doctiss. scilicet, quia æs illud grave Scipionis filiabus *ex ærario* fuit datum, *ne quis æs Rude vel Infectum hic somniet*. An ergo auguratur, Rude Æs non fuisse unquam Romæ ad commercia aut ad solvendam majoris summæ pecuniam, simul cum Signato Librali ære, adhibitum? Atqui contrarium jam supra liquido satis probavimus. Sed & ex compluribus constat locis Livii, Æs, Argentum, Aurum, rude & infectum, ex triumphis in ærarium fuisse conditum. Sic Papirius

&

& ejus Collega multa *centena millia æris*, ex captivis, vel venditis, vel potius redemptis, redacta, multumque *argenti Pondo*, *in ærarium* condiderunt, Liv. X. 46. Scipio ex Hispania rediens, nec triumphans, *argenti præ se in ærarium tulit quatuordecim millia Pondo*, & *signati argenti magnum numerum*, Liv. XXVIII. 38. Vides opponi *argentum* infectum factumve & *signatum*, illud *pondere*, hoc *numero* definitum, utrumque æque *in ærarium* illatum. Idem ex Africa triumphans *Argenti tulit in ærarium Pondo* 100023. XXX. 45. L. Furius ex Gallia *in ærarium tulit* 320000 *æris*, *argenti* 170000 *Pondo*, XXXI. 49. Quid, quæso, hic intulit in ærarium? an asses Romanos semunciales tot numero? at unde eos accepisset in Gallia? Immo vero tot millia *æris* & *argenti Pondo*, atque adeo rudis & infecti, intulit.. M. Helvius ex Hispania *Argenti infecti tulit in æ-*

 ra-

rarium quatuordecim millia pondo, septingenta triginta duo; & signati bigatorum 17023. *Oscensis argenti* 20433. XXXIV. 10. Satis sic probatum dedimus, rude & infectum metallum in ærarium quoque fuisse illatum, nec addemus ex Livio, nisi notabilem locum XLV. 39. ubi agitur de maxima præda omnis generis, & materia triumphi, ex Græcia & Macedonia ab L. Paulo deportata; *Quo* (scil. *abdentur*) *signa aurea, marmorea, eburnea, tabulæ picta, textilia, tantum argenti cælati, tantum auri, tanta pecunia regia? an noctu tanquam furtiva in Aerarium deportabuntur?* Quod hæc pecunia vel aurum illud & argentum constiterit in *ponderibus auri & argenti*, vel certe iis æstimatum fuerit, diserte traditur cap. 40. Omnia tamen hæc *in ærarium* sunt condita. Similiter eodem delata a Duilio ingens illa *Aeris capti* summa, quam longe maximam partem fuisse sine du-

dubio æris plane rudis, mox declarabimus. Sed nihil disertius loco Plinii XXXIII. 3. *Auri in ærario Populi R. fuere septem annis ante B. Punicum III. Pondo sedecim millia octingenta decem, Argenti* 22070. *& in Numerato* 6285400. *Dein C. Cæsar primo introitu Urbis in Civili bello ex ærario protulit laterum aureorum* 25000. *argenteorum* 35000, *& in Numerato HS. quadringenties.* Quid jam? An clarius quid desiderari potest ad probandum, etiam Rude & Infectum Metallum, in lateribus situm, ac solo pondere æstimatum, fuisse in ærario conditum, servatum, atque inde, ubi usus ferebat, prolatum. Sed quem, dicet quis, in usum? Nimirum, ut inde, quum opus esset, depromeretur rude illud & infectum, sive æs, sive argentum, & aurum, non modo in monetam, sed etiam in commercia. Commercia illa sæpe cum exteris exercebantur va-

riis de causis. Illi vero non desiderabant nummos Romanos, asses aut denarios, sicut neque Romani ab exteris exigebant sibi nummos illis proprios, quippe quos ipsi habebant pro ære vel argento rudi & infecto, & ideo ad pondus accipiebant: unde sæpius in triumphis ex Hispania Oscensis argenti in nummis aliquot millia videmus memorata, Liv. XXXIV. 10. & 46. XL. 43. Sic Duilius bello Punico primo *Aurum*, *Argentum*, *Æs Captum* transtulit in triumpho de Pœnis, suaque celebri in Inscriptione Columnæ Rostratæ ordine exposuit. At Auri & Argenti summæ utrique addidit seu præmisit vocem *Numei*, quo nihil aliud declarare voluit, quam illas auri & argenti summas in Nummis potissimum constitisse. At quibus nummis? Non certe Romanis, nam Romani eo tempore, ut ex Plinio constat, nullos adhucdum aureos habe-

habebant nummos: Ergo Peregrinis, sed quorum apud Romanos nullum erat pretium nisi ex pondere, & idcirco accipiebantur ab illis, & habebantur eodem loco & pretio, quo rude & infectum aurum & argentum. At *Aeri capto* vox *Numei* istic non adscribitur: unde colligendum omnino videtur, ingentem istam æris summam librarum 2100000 fuisse potissimum æris rudis, vel, si quid in ea exstiterit quoque æris signati, fuisse id exiguum & pro rudi habitum, quale ab exteris Romani in commerciis & victoriis potissimum exigebant. Quod vero de commerciis, rudi & infecto metallo exercitis, dixi, manifestum id est ex pactione inter Fabium & Hannibalem de captivis permutandis & redimendis apud Livium XXII. 23. *quod, sicut primo Punico bello factum erat, convenerat inter Duces, Romanum Pœnumque, ut qua pars plus reciperet, quam daret, ar-*

genti pondo bina & selibras in militem praestaret. Utrimque istic desiderabatur ipsum argenti qualiscunque pondus, non nummi, quos si maxime acciperent, exegissent ad pondus; idque Livius ea locutione, quae raro ceteroquin occurrit, declarare voluit.

XXIV. Satis de Senecae locis actum. Videamus nunc alterum Auctorem, quo utitur Doctissimus Diatribes Auctor contra receptam *Æris Gravis* interpretationem. Livius is est unico loco XXXII. 26. *Egregia duorum opera servorum Indicum, & unius liberi fuit. Ei centum millia gravis aris dari Patres jusserunt, Servis vicena quina millia aris & libertatem.* In exponendo hoc loco valde, fateor, haesitat Salmasius, sed sine causa. Agnoscit, quod nemo, opinor, ante nuperrimam Diatriben negavit, per *aris gravis millia* intelligenda aeris librarum millia, sed redigit ea dein ad asses semunciales tunc jam vul-

vulgatos. Unde quum vidisset exoriri summam istorum assium XXIV. centenorum millium, quæ ad argentum relata faciunt sexcenta sestertia, censuit immodicam hanc esse pro ratione istius temporis: atque ideo in Libro de Usur. pag. 574. pronunciat delendam hic vocem *Gravis*; at dein de Modo Usur. p. 239. retinet eam, & interpretatur ista *centum millia gravis æris* de sestertiis æreis, qui tamen nulli unquam in libera Rep. exstiterunt. Sed error Viri Summi ex eo oritur, quod credidit Æs illud Grave redigendum ad Asses vulgares tunc maxime usitatos, atque adeo unam æris libram æquiparandam 24 assibus, seu 6 sestertiis. Id quod neutiquam erat faciendum, quum Libra æris etiampost imminutos jam asses retinuerit aliquandiu, in summis certe conficiendis, pristinum pretium seu pristinam comparationem ad argentum, ut supra

 osten-

ostendimus, & ex Livio ac Plutarcho inter se collatis liquido probavimus. Ita vero ex illa summa *centum millium aris* exsurgent tantum decem millia denariorum, seu quadraginta millia sestertiorum, quæ faciunt nostra pecunia tria millia florenorum, cujus quartam partem acceperunt servi. Isthæc vero summa nequaquam est immodica in præmium pro *egregia opera Indicum*. At nimis exigua foret, si illa *centum millia* de Assibus semunciariis, ut voluit Diatribes Auctos, interpretaremur. Nam exsisterent inde tantum 6250 Denarii, Floreni vero 1875. cujus quarta pars data servis, quam exigua sit futura, nemo non videt. Comparemus nunc aliis Indicibus decreta a Senatu prœmia ex diversissimis temporibus. Non dicam *centum* quoque *millia aris*, haud dubie itidem *gravis*, decreta Indicibus Bacchanalium eo tempore, quo victus jam Antio-

tiochus, & Asiatica luxuria in Urbem penetraverat, Liv. XXXIX. 19. Sed quod legimus apud Livium IV. 45. jam ante stipendia militibus constituta, ante captam a Gallis Romam, conspirasse servos, ut incenderent urbem, sed indicio duorum comprehensos sontes, pœnas dedisse: *Indicibus dena millia gravis æris ex Ærario numerata*, sed additur ad extollendam decreti præmii summam pro ratione istius temporis, *qua Tum Divitiæ habebantur*. Si *divitiæ* jam olim decretæ fuerunt Indicibus servis, si *Tum* decreta illis *Decem millia æris gravis*, æquissimum profecto, ut post Bellum Punicum II. tam feliciter confectum servis Indicibus præstarentur XXV. millia æris gravis, ac libero Homini centum millia. At si illa XXV. millia de Assibus semunciariis essent intelligenda, decretæ illis fuissent, paululo plus quam mille, libræ æris, quod si com-

comparetur cum prisca ærarii tenuitate, ac liberalitate tamen istius, quod modo designavi, antiquissimi temporis, iniquissimum foret. Jam tempore Ciceronis & Catilinæ traditur a Sallustio Catil. cap. 30. promissum, *si quis indicasset de conjuratione, quæ contra Remp. facta erat, præmium servo libertatem & sestertia centum, libero sestertia ducenta.* Congruit hoc etiam istius temporis opulentiæ. Nam *centum sestertia* respondent 250000 gravis æris, & nostra pecunia 7500 Florenis. Si spectemus jam medium tempus, seu initia B. Punici II. in quibus Resp. erat ad summas ærarii angustias redacta post cæsum jam, ad Thrasimenum, Consulem Flaminium, videbimus tamen tunc Servo, Indici conjurationis servilis, *datam libertatem, & Æris Gravis viginti millia* Liv. XXII. 33. Locus hic tanto magis est notabilis, quoniam & in eo diserte *Æs Grave* exprimitur, & tamen ab aliis ille, quantum scio, in

in hac controversia non est allatus. Ut adeo tanto pluribus hinc constet documentis, *Æs Grave* post imminutos primum asses mansisse in usu & commercio civium, si non re ipsa, tum vero in æstimandis pecuniæ majoribus summis. Nam res hæc gesta eodem tempore, quo Cn. Scipio, cujus Filiæ *Æs Grave* Senatus in dotem decrevit, de quo supra jam egimus, in Hispania rem gessit. Summa autem isthæc medii hujus temporis fortunæ, si comparetur cum summis simili in casu ante & postea decretis apud Livium lib. IV. & XXXII. prorsus congruit. Tanto magis censeo de eodem *Gravi ære*, licet id istic non addatur, interpretandum quoque Livium XXVI. 27. ubi itidem *XX millia æris indici data* dicuntur, quum certe neutiquam conveniret, illo tempore, quo Roma caput jam denuo extulerat, recepta Capua, & Hannibale

bale in extremum Italiæ angulum depulso, minus (h: e. leve æs) datum Indici, quam in medio cladium Romanarum cursu. At lib. XXVII. c. 3. reperimus *Indicibus dena* tantum *millia æris data*: sed haud dubie, quia illi complures fuerunt. Certe alienum foret a moribus Romanis, ut illis tantum *dena millia* assium Semunciariorum decreta fuissent, quæ faciunt paulo plus 400 libris *æris Gravis*, cujus ipsius utique *dena millia* jam ante captam a Gallis Urbem fuerant Indicibus erogata.

XXV. Hisce locis de *Aere Gravi*, post imminutos Asses, addendus est, qui jam allatus a Salmasio de Modo Usur. pag. 237. ex Libris Linteis Pontificum, ubi *Aetolorum Legatis Lautia data, & ducenta millia æris gravis in singulos, dimidium eorum Comitibus*. Accidisse hoc debuit bello Punico II. quando Ætolis antea ignotis se junxerunt primum Romani contra Philippum Ma-

Macedonem, qui fœdus fecerat cum Hannibale, & Romanos turpiter per Legatos suos deceperat; vel summum paulo post id bellum, quando jam Romani arma intulerant Philippo: nam post hoc bellum statim vicerunt illi & debellarunt ipsos quoque Ætolos, quos antea habuerant amicos & socios. Sed cujuscunque æris illa fuerit summa, nimis profecto fuit ampla isto inprimis tempore. Liquet hoc vel maxime ex summis, quas post illud tempus Legatis amicissimorum Populorum, & maximorum Regum, decretas reperimus. Sic parante jam expeditionem in ipsam Africam Scipione, Legatis Saguntinorum *jussa dari ne minus dena millia æris*, Liv. XXVIII. 39. Masinissæ Regis, *in singulos dona ne minus quinum millium æris*, *comitibus eorum mille* (sic enim legendum ex MS. Voss. non *millium*) *æris*, XXX. 17. Ptolemæi Regis Ægypti, *munera quinûm*

nûm millium æris in singulos missa, XXXI. 9. Immo post victum jam Persea & captum, Legatis variorum Populorum ex Græcia & aliis regionibus, *munera omnibus, in singulos binûm millium æris data*, XLIII. 5. 6. 8. At Antiochi Epiphanis Legato *centum millium æris munus missum*, XLII. 6. Sed ratio erat, quod ille *attulisset stipendium*, & *donum præterea, vasa aurea quingentûm pondo*, quod sane erat amplissimum; sed & quod Legati Romani, *qui in Syria fuerant, renunciaverant, in maximo Eum honore apud Regem esse, amicissimumque Populo Romano.* Extraordinarium ergo id munus fuit, quod ob tantas causas huic Legato est decretum. Quapropter nullus dubito, quin illud excerptum ex Libris Linteis hac in parte sit corruptum, & pro CC, seu *ducenta*, legendum sit II, h. e. *bina*, quod jam voluit & monuit d. l. Salmasius, sed cujus computationem re-

di-

digentis hæc *millia æris gravis* ad asses semunciarios minime probamus, ut jam supra diximus.

XXVI. Nihil nunc superest in illa Diatribe sæpius a nobis memorata examinandum, nisi unum hoc, quod tamen vix refutationem meretur, & quod proferemus tantummodo, ne quid videamur prætermisisse. Censet Vir Doctissimus, *appellationem* æris gravis *non ex comparatione ejus cum ære leviore natam, in quo juxta cum ceteris fallatur Gronovius* Pater, *quodque omnibus adhuc persuasum fuerit;* sed *ea appellatione quodcunque nummorum æreorum genus comparari cum argento & auro signato, quæ, si pretii habeatur ratio, pondere æri longe cedant.* Tantam asseverationem, *ne quis arbitrariam putet*, probabit unico Livii loco, IV. 60. ubi cum Patres constituissent primum stipendia militibus, eaque causa tributum mox esset indicendum, idque impedire conaren-

rentur Tribuni plebis, illi tamen dicuntur voluisse *bene cœptam rem perseveranter tueri, conferre ipsi primi: & quia nondum argentum signatum erat, æs grave plaustris quidam ad ærarium convehentes, speciosam etiam collationem faciebant.* Hic multis contendit Vir Doctiss. Æs comparari cum Argento, non qua librale erat, sed qua æs. Accipio id lubens; nam non impedit illud, quo minus tamen *Aes* illud insuper describatur, quale tum fuerit. An putat Vir Acutus, non potuisse a Livio recte dici, *& quia nondum argentum signatum erat, asses librales plaustris quidam* &c. Certe istic *Asses* quoque comparati essent cum argento & argenteis nummis, *non quatenus librales essent*, ut ipse ait, *sed* qua *ærei.* Et tamen recte potuit descriptio illorum assium addi, scilicet, quod essent *librales*, ut, tanto clarius pateret, quare *Plaustris* illa collatio fuisset facta: Nimi-

mirum hoc unum voluit istic declarare Livius, eamque in rem duas adfert rationes; priorem, quod collatio illa fuit facta non in argento, quippe quod tunc nondum erat signatum Romæ, nec in commercio aut usu hominum, sed facta in ære; posteriorem, quod æs illud fuit *grave*, h. e. librale, quippe quod tunc solum erat in usu. Quid in hac interpretatione tam facili & clara reperitur hæsitationis, ut ex hoc potissimum loco tam inaudita, contra quam omnibus antea, etiam ipsi Clerico suo, ut video ad Livium XXII. 33. persuasum fuit, &, ut vere dicam, tam absona eliciatur sententia? Pone Æs Corinthium jam tunc fuisse Romæ in usu & magna in copia; si jam dixisset Livius, *quia nondum argentum signatum erat, æs Corinthium plaustris quidam ad ærarium deportarunt*, an inde sequeretur, *æs Corinthium*, quia argento opponitur, nihil

hil aliud igitur notare, nisi vulgare æs? quæ ratiocinatio est istius Diatribes contra *Aes Grave*, quod ista ratione pro simplice ære vult haberi, atque adeo vocem *Gravis* æri adjectam nihil prorsus istic notare. Verum hæc apud limati Judicii Viros quî purget & excuset, viderit ipse. Nostra e contrario in sententia nihil putem reperiri, quod vel rectæ rationi, vel auctoritati Veterum, repugnet, quæ potissimum, in rebus Facti publici & vulgaris ex antiquo tempore, est sequenda & recipienda. Summa illius sententiæ, ut eam uno obtutu Lectoribus cognoscendam hic exhibeam, hæc est: Antiquissimis temporibus Romanos Ære Rudi usos in commerciis, ejusque pondus in Libra vel Trutina exquisivisse & computasse. Sed quia quotidianis emptionibus vilium rerum libram semper adhibere molestum erat, ideo in usum talium emptio-

num

num Servium Tullium primum signavisse Æs, & ita, ut Libræ Æris Rudis plane responderet pondere & pretio Nummus Æris Signati, qui dicebatur *As*. Mansisse autem, etiam postquam Æs signari jam cœptum erat, Rude illud æs in continuo usu & commercio majorum emptionum. Quia vero appendi semper debebat, hinc ortas tunc voces *pendendi*, *pensionis*, *stipendii*, *dispensatoris* ad denotandam pecuniæ solutionem, immo in emancipationibus &c. ipsum ritum adhibendi *Libripendis cum ære & libra*: quæ omnia ad tempus ante Servium Tullium referri nulla ratione queant. At postea quinto demum anno ante Bellum Punicum I. etiam argentum signari Romæ cœptum, ac dein in ipso hoc Bello, Asses, qui antea fuerant Librales, seu Libram pondo pendentes, imminutos in Sextantem Libræ, postea in B. Punico II. in Unciam, denique

in Semunciam. Tum vero Vetus illud Æs Libralis ponderis dictum fuisse *Æs Grave*, ad distinctionem a Levioribus Assibus in emptione & venditione tunc jam usitatis. Ipsum autem Æs Grave non mansisse post imminutos jam asses diu in commerciorum usu, quia illud servare & ad commercia adhibere valde erat molestum, ac Argentum insuper indies tunc incredibilem in modum Romæ invalescebat, & ad magni pretii emptiones potissimum adhibebatur. Sed tamen summas ipsas pecuniæ majores etiam deinceps aliquandiu ex prisci temporis more in Ære conceptas & confectas, seu redactas ad Æris rationes, & quidem *Æris Gravis*, quod in istis Rationibus retinuerit pristinam relationis ad Argentum significationem: atque ita, licet ipsum Æs Grave in usu & commercio esse jam desierit, mansisse tamen ejus appellationem in majoribus

ribus præcipue summis aliquandiu usitatam. Ex eo igitur explicanda pauca illa Auctorum Loca, in quibus *Aeris Gravis* mentio in rebus, quæ post imminutos jam Asses acciderunt, occurrit, quum ceteroqui Tempori, quod ante eos imminutos exstitit, frequentissime ab Auctoribus antiquis tribuatur. Omnia hæc sic satis cohærent, & pleraque ex ipsis Veteribus liquido sunt probata. Nec poni hic quidquam puto, cujus contrarium ex iis demonstrari queat, aut quod indoli & consuetudini rerum humanarum in hujusmodi rebus adversetur.

FINIS.

JAC. PERIZONII

AD

AND. MORELLII, V. C.

QUAESTIONES EPISTOLICAS

DE

NUMMIS CONSULARIBUS

RESPONSIO.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

AD LECTOREM.

Andreas Morellius, Vir Veterum Nummorum peritissimus, eoque nomine per Germaniam, Galliam, Italiam, Belgicam notissimus, quum locupletissimam pararet Consularium Nummorum editionem, mecum de quibusdam prius agere voluit, quos pridem explicare partim in *Dissertationum* mearum *Triade*, partim in *Animadversionibus Historicis* tentaveram. Ea de causa, quum ipse jam paralyticus esset, per Virum Doctissimum, Christianum Schlegelium, quem Adjutorem consilii sui adsciverat, literas ad me Arnstadio, Anno hujus sæculi primo, dedit, una cum Operis, quod meditabatur, specimine quodam;

in quo mea potiſſimum recenſebat, meamque de ſingulis ſententiam denuo requirebat.

Epiſtola Schlegelii hæc eſt, omiſſis Saluti dicendæ ſolitis elogiis.

Cum Dominus Morellius noſter jam in eo ſit, ut Nummos ſuos Conſulares, duplo Patini auctiores, in lucem proferat, id ipſum ſuum propoſitum per Epiſtolam quandam ad Viros eruditos reique nummariæ gnaros palam facere ſecum conſtituit. Sed id faciens recordatus eſt inſimul, quam multum & Animadverſionibus Tuis Hiſtoricis debeat, cujus proinde non potuit non gratam in eadem facere mentionem: Quod vero ne Te fugiat, præmittere ejuſdem jam ad Te partem non incommodum exiſtimavit, ut videas, ipſum propterea de Te non niſi honorifice & ſentire & loqui potuiſſe. Perlegas igitur, ſi lubet, adjecta, & quæ Tua viciſſim de iis mens ſit, nobis quam proxime ape-

pe-

perias atque candide. Persuadeasque Tibi Dominum Morellium non solum summo Te complecti amore, sed & ipsum ad Te dedisse literas illius indices, si id per dextræ manus paralysin, qua, ut nosti, laborat, facere fuisset potis. Interim his ipsis mecum se Tuo constantiori favori, quo sanctius nobis nihil est, commendat. Vale!

ANDREAS MORELLIUS

DE

NUMMIS CONSULARIBUS.

1. In capite primo Animadversionum ejus (Perizonii) Historicarum, sicut egregia sunt omnia, quæ de Attiliorum cognomine, SARANUS, retulit, ita vulgares etiam veterum errores eruditi viri judicio detegi ac corrigi posse, iisdem comprobavit.

2. Capite II. jucundum præprimis mihi fuit legere observata de Serviliorum cognomine, GEMINUS, quibus etiam conjecturæ Pighianæ de M. & C. ABURIIS, quod fratres fuerint, indeque etiam GEMINI appellati, veritas adstrui posse videtur; incertum etenim est, quale cognomen tres literæ GEM indicent. Occurrit quidem & apud Gruterum ABURIA GENESIS, sed cum mulier non sit Genesis, sed Geneseos organum, forsan ibi genuinum hujus gentis cognomen notatum, ac postea male descriptum fuit.

3. Major difficultas, ut mihi videtur, in explicandis Gentis Æmiliæ nummis residet, qui in Ursino per Patinum aucto Tab. I. n. 5. 6. extant. Siquidem firmissime credo, illos stante adhuc Republica & ante Imperium Monarchicum fuisse conflatos, quoniam ratio fabricæ oculis in re nummaria versatis nul-

nullo modo poteſt concedere, ut uſque in Tiberii Cæſaris tempora rejiciantur, etiamſi caput Concordiæ illud perſuadere poſſet: nam hæc ratio facile evaneſcit, ex conſideratione nummorum Gentis Muſſidiæ & aliorum, in quibus eadem Concordia apparet, poſt necem tamen Cæſaris ſtatim iis impreſſa. Hinc non vana ſequi videtur concluſio, tales nummos ad Concordiam III. Virorum vel aliam novam, de qua Dio Lib. 44., potius ſpectare, non vero ad templum, quod huic Deæ Tiberius conſecraſſe ſcribitur. Si proinde prædicti nummi ad Lepidi III. viri fratrem referendi non ſunt, alius Paulus Lepidus erit quærendus, qui etiamſi non reperiatur, nihilominus tamen exiſtere illo tempore potuit, cum nummi multos hodienum adhuc detegant, de quibus apud Scriptores altum alioquin eſt ſilentium. Accedit inſuper, quod ultimis Au-

gusti temporibus nulli alii fuerint cusi, nummi, quam cum effigie ipsius, aut certa minimum nota illum designante. Hinc rectius statui mihi posse videtur, illa ætate nullos amplius officinam exivisse monetariam nummos, qui Reipublicæ veteris formam saperent.

4. In sexto nummo Tabulæ I. hujus Gentis Æmiliæ porro considerandum venit adscriptum, TER. quod Ursinus ad triplicem triumphum retulit; id ipsum tamen in Animadversionibus Historicis refellitur. Num vero in eadem adhuc perstet sententia Vir Clarissimus, id est, de quo per literas ad illum cupio esse certior. Æmilium autem TER triumphasse, testatur inscriptio, quam affert Ursinus: quare non etiam nummus, ut cum lapide eo rectius conveniat. Ac si hæc interpretatio Lectori non arrideat, triumphum triduanum, attestante eundem historia, forsan iis-

iisdem sistere voluerunt. Trophæum præterea non solum victoriam, sed & ipsum triumphum denotare, probare videtur caput ipsius Triumphi in primo nummo Gentis Papiæ apud Ursinum, cui Trophæum adjectum est, conspiciendum; Imo sub Imperatoribus Trophæum triumphum magis inferre, quam quadrigæ, quæ sæpissime processum saltim ad Consulatum indicant, certum est. Nondum interim mittere hanc possum familiam Æmiliam, sed nonnulla adhuc de Eadem movere hic libet problemata. Et quidem quod ejus primum concernit nummum, in eo plures Regem Aretam exhiberi supplicem autumant, sed mihi videtur, figuram esse Arabiæ genu flexam, qualis in Trajani alias nummis comparet. Hoc Æmiliæ Gentis monumentum cum alio diverso nuper admodum in lucem produxit vir de re antiquaria meritissimus,

Laurentius Begerus; & quidem cum corona radiata dorso cameli imposita, quam nunquam hactenus observare mihi licuit, etiamsi ultra centum hujusmodi nummorum viderim, sed saltim tegumentum quoddam ad vehenda onera aptum. Optarem ergo scire, an re vera talis nummus reperiatur? Nullam interim perspicere possum rationem, cur hæc corona radiata possit adesse. Nam Rex Aretas eadem plane non usus fuit, & apud Romanos, ut notum, illa mortis exstitit signum, quippe qua Divorum saltim capita radiabant. Et cum in nummo Gentis Rustiæ eadem corona quoque ab ipso fuerit exhibita, ab aliis pariter nondum visa, exinde forte Romani in suspicionem venire possent, vota pro reditu Augusti ea mente solvisse, ut mox Divus fieret, sive ad plures abiret. In secunda dehinc hujus Gentis Tabula adjecit Patinus quar-

tum

tum nummum, quem etsi unde illum habeat, reticeat, constat tamen desumsisse ex Tristano, qui eundem cum nomine ΜΑΡΚΟΣ ΛΕΠΙΔΟΣ nobis exhibuit; Verum ΝΙΚΙΑΣ ΚΩΙΩΝ legi debere, docet nummus ipse in LUDOVICI MAGNI thesauro incomparabili. An vero hic ipse Nicias Cous sit, cujus meminit Cicero Epist. Lib. VII. ad Atticum, & an placeant illa, quæ in Specimine meo in tertium nummum Tabulæ III. hujus Gentis commentatus sum, de iis virorum doctorum expectabo sententias. Siquidem ad me relatum fuit, virum quendam doctissimum, & quidem maximi moduli, ut termino artis jocari liceat, tres illas figuras interpretari de somniis Endymionis: Quamvis vero palmam de somniis nemini invideam, huic tamen opinioni me accedere non posse, eademque somniare, palam profiteor.

5. Correctio Patini p. 120. qui ex literis, L. H. TUB. effecit, L. Helius Tubero, legendis tamen, L. Hostilius Tubulus, insignis est, viriqûe Clarissimi judicio acutissimo prorsus digna.

6. P. 223. mentio fit Gentis Veturiæ, qua occasione simul in mentem venit, nummos huic Genti attributos verisimilius spectare ad Gentem Vettiam, idque ex eo, quod utraque iisdem initialibus utatur, & figuræ in adversa parte fœdus inter Romulum & Tatium denotantes, potius ad Vettium pertineant, qui mortuo Romulo inter-Rex fuit, cujus rei memoriam sine dubio quidam ex Vettiis hisce nummis conservare voluerunt. Illud tamen contra Ursinum affirmare non ausim sine peritiorum approbatione. Cæterum non prætermittendum est, in hujus Gentis Vettiæ nummo exprimi T. VETTIUS, ut bene observavit Ursinus,

nus, in Patini vero editione literam T, qua ex causa nescio, perperam omitti.

7. Nunc videamus oportet, quale sit caput in nummo Gentis Arriæ ab Ursino pag. 37. exhibitum. Barbatum istud est, & vix pro Augusti agnoscendum. Augusti tamen esse, & non alterius, ex sequentibus dispalescet rationibus. Primo perpendendum est, hunc nummum statim post Cæsaris necem fuisse cusum, antequam vera Augusti effigies Romæ adhuc esset nota, ac præsertim sculptoribus; hinc nomen etiam Cæsaris sive Augusti non adjectum cernitur, quoniam Arrius anxius adhuc erat, & eventus de rebus Cæsaris dubius ac incertus. Hoc enim colligitur ex nummis aliis, e. g. illo, quem pag. 251. n. 5. Ursinus sistit, qui statim post Cæsaris obitum fuit percussus a Tito Sempronio, in quo caput quoddam exprimitur, quod nul-

nullo modo Augusto tribui posset sine adjecto DIVI JULI F, estque quodammodo senile ac barbatum, perinde ac in Arrii nummo; itemque illo, qui pag. 136. n. 6. occurrit, ubi vix quispiam caput Caji Cæsaris vel Augusti conjiceret, si additum nomen id non doceret. Hujusque generis plures adhuc diversi passim reperiuntur. Nam Augustus adhuc barbatus deprehenditur in nummis, cum jam fuisset III Vir RPC. sicut Antonius & Lepidus; ex quo fluit illos barbam aluisse propter luctum, ob Cæsaris interitum, quod Ursinus non observans, Lepido attribuit nummos Antonii solum caput referentes in Gentibus Sepullia & Vibia. Novimus præterea ex Dione Augustum barbam nutrivisse, primamque demum deposuisse quinto post Cæsaris necem anno. Quas rationes satis roboris habere crederem, ad caput hoc Augusto vindi-

dicandum in nummo Arrii.

8. Quod si vir Clarissimus certiora nonnulla observaverit, quam in Dissertatione III. p. 248. jam nobis propinavit, eorum communicationem expeterem. Sunt enim in nummo Gentis Flaviæ quædam, de quibus mihimetipsi non satis constat. Moneo igitur, in illo nummo distincte reperiri caput Apollinis cum lyra. Et quamvis plurimos hujusmodi nummos viderim, non tamen satis accurate perspicere potui, an legendum sit HEMIS an HEMIC. Interim persuadeor initium hoc esse cognominis cujusdam Apollinis a loco desumpti, & si conjecturæ locus est dandus, forte ab Hemissenis in Coele Syria, sive ab Hemichara, oppido Siciliæ, deducti, quo significaretur, C. Flavium, qui nummum cusit, in hisce locis Magistratum aliquem gessisse; si vero hæcce non satis cuidam placeant, illi, ipsum Apollinem

ro-

roget, suaderem, qui in nummo conspicitur.

9. Dubitat Clariss. Perizonius, quod MUSA cognomen fuerit Gentis POMPONIAE. Sed cum Antonius Musa Augusti Medicus eodem cognomine quoque usus sit, quid impediet dicere, idem cognomen etiam in Gente Pomponia reperiri. Qua occasione obiter noto, nummos exstare Tiberii cum inscriptione, M. ANT. MUSO &c. Aut ergo cognomen fuit Musus, aut error est in nummo genuino.

Respondi mox huic Epistolæ & Specimini, sed ita, ut breviter tantum meam animi sententiam de Quæsitis, ipsi exponerem. Quæ & causa, quare responsi mei exemplum non servaverim, neque nunc post elapsos jam tot annos meminerim., quid

quid ad singula tunc reposuerim. Hoc tamen probe etiam nunc scio, me duos Celeberrimi Viri Errores plane manifestos ipsi declarasse, Alterum de *Nicia* Coo, quem ostendi non fuisse Niciam a Cicerone nominatum, quippe qui fuerit Grammaticus, ab ipso Suetonio in Illustribus Grammaticis memoratus; sed fuisse Coorum Tyrannum, de quo jam egerim ad Æliani Var. Historiam l. 29. Alterum, de *Antonio Musa*, cujus cognomen docui neutiquam esse sollicitandum, aut in *Musus* mutandum, quum ex Horatii metro, genuinum esse *Musa*, satis constet. Reliqua, ut dixi, memoriam meam nunc fugiunt, & tamen de singulis, quantum opus est, in sequentibus agam. Nam Meam Epistolam Clariss. Morellium accepisse, & ex ea nonnulla in suis emendasse, ipse scriptis mox Literis, & sinistra, ut videtur ex literarum forma, manu signatis, quas una cum Epistola

pu-

publice edita, ac mihi inscripta, ad me misit, discerte testatur.

Epistola ejus, sed alterius manu scripta, hæc est.

VIRO CLARISSIMO,

JACOBO PERIZONIO,

ANDR. MORELLIUS

S. D. P.

Literæ Tuæ, quibus gratius vix quidquam mihi poterat contingere, recte ad me fuerunt perlatæ, &, quod augebat gaudium, in tempore. Nam multa adhuc ex iis meæ inserui Epistolæ, quam simul accipis excusam typis. Credo vero ista eam continere, de quibus, quod conquereris, non habeas, & si præter spem irrepserint etiam nonnulla, ea me credas esse mente, ut a-

lio

lio loco & tempore ista emolliam, cum totus amore erga Te ac veneratione, quod Tibi persuadeas velim, ardeam. Epistolæ quidem unicum saltem exemplar, ut sumptuum fiat compendium, hic addidi, submissurus tamen proxime primaque commoda occasione illarum vel duodecim alia, Amicis distribuenda. Magnæ mihi cæterum cederet voluptati, si occasio Tibi foret cum Illustriss. Dn. Spanhemio, de hac ipsa colloquendi Epistola. Superest adhuc, quod in Amicitiæ Tuæ gremium liceat conjicere. Si forte Tibi nonnulla adhuc succurrerent circa nummos Consulares monenda, aut ad correctionem illorum facientia, ea ut mecum communices, multum Te rogatum cuperem, promittens simul, illa nonnisi sub Tuo nomine me editurum, eaque ita Bibliopolam sumptus facientem compensaturum, qua ratione nec mihi mea. Ac inprimis

mis ex Te hic mihi liceat quærere, an Antonii Augustini librum de Familiis Romanorum vel emendandum vel augendum in Te velis sumere, sub Tuo nomine pariter evulgandum, atque non sine ejusdem gloria. Hisce vale, Eruditissime Perizoni, & favere Tuo addictissimo perge. Dabam Arnstadiæ die 12. Sept. 1701.

A. Morell.

ANDREÆ MORELLII

DE

NUMMIS CONSULARIBUS

EPISTOLA

AD VIRUM CLARISSIMUM

JACOBUM PERIZONIUM.

Quum a primis annis mihi semper in more fuerit positum, libros eorum, qui diligentiam & studia sui

sua rei nummariæ Veterum consecrarunt, vel etiam obiter in hoc genere operæ pretium fecerunt, inspicere subinde, & cum cura evolvere; contigit, ut quas Tu, VIR CELEBERRIME, omnigenæ Eruditionis Tuæ testes evulgasti Animadversiones Historicas, jam in Gallia magna cum animi voluptate perlegerem. Ex eo tempore maximo desiderio exarsi, noscendi Te propius, & coram etiam colloquendi, ut ex doctrina Tua uberiorem fructum caperem. Quæ felicitas demum mihi contigit, ante annos haud paucos negotiorum quorundam causa ad Batavos profecto, ubi famam Tuam a præsente superari deprehendi, & humanitatem doctrinæ parem esse. Inde jam nata mihi fiducia est, has ad Te publice dandi literas, ut Tuam, aliorumque egregiorum in his studiis Virorum sententiam exquiram de Nummis quibusdam Consularibus,

ubi cum novis explicationibus dubitationes quoque nonnullæ mihi sunt natæ. Cum enim insigne Consularium Nummorum opus prælo subjiciendum omni meo labore parem, velim judicia Tua, aliorumque prius discere, ut mea, ubi opus est, vel corrigam vel confirmem. Hac autem occasione placet consilii, moræque reddere rationem, ac omnibus palam facere, quam pertinaciter hactenus adversa fortuna susceptis meis restiterit, ne videar vanis promissis imposuisse Orbi Erudito.

Ex altero scilicet Specimine Lipsiæ edito satis liquere puto, quibus obstaculis a proposito meo in Gallia fuerim dejectus, de quo in præsens vel propterea non plura, quod mali perpessi author præcipuus jam tum in locum suum abierit, mihique sufficiat REGEM MAXIMUM me Clementissimo suo alloquio fuisse dignatum, tandem,

demque in Patriam reversum tanta insuper beasse gratia, ut Regia illa munificentia etiam malevolorum quorundam excitaverit invidiam.

Ex Gallia interim in Germaniam mirâ fortunâ delatum ad persequendos, & ad exoptatum finem perducendos labores summe exstimulabat in Specimine meo pag. 32. memoratum ac promissum auxilium. Quod vero cum primitias non superaverit, intermissique aliquandiu spes, Magni Patroni casu penitus fuerit sublata, egoque sic derelictus in maximam sumptuum inciderim jacturam, non modo languescere cœperunt labores mei indies, sed & tantus exinde mœror animum occupavit, ut ante triennium hemiplexia tactus, totius Operis filum abrumpere fuerim coactus. Inde vero mihi paulo reviviscenti animum denuo adjecit Illustrissimi Comitis Schwartzburgici Clementia, qua huc usque fruor singulari,

eaque factum est, ut mihi dexteri lateris usu privato adjunctus fuerit *M. Christianus Schlegelius*, qui verba & dictata mea calamo exciperet.

Memorata hæc tanti ponderis apud omnes benevolos Lectores fore confido, ut ad commiserationem potius commovere valeant, quam eosdem in ea relinquere persuasione, quasi susceptum opus levi neglexerim animo.

De primo satis: alterum quod attinet, penes me quidem constitueram, Imperatorum nummos cæteris præmittere, horumque jam ultra quingentas tabulas sculpi feceram, sed cum integram seriem nondum constituerent, ipseque delineationes in hoc meo statu amplius dare prorsus nequeam, non exiguam inde labori accrescere difficultatem facile deprehendi. Ad Nummos Consulares ergo animum adjeci, eo cum maxime perductus, quod Imperatoriis non solum tem-

pore

pore priores, ſed & delineati, ſculptique jam eſſent, meque in antiquiſſima Helvetiorum Republica naſci contigerit: hinc ſtatui, nummos ſummæ, quæ unquam fuit in Orbe terrarum, Reipublicæ primum in lucem proferre, ad reliquas operis partes dein progreſſurus, ſi DEUS vitam vireſque conceſſerit.

Hocce autem inſtitutum eo uſque perduxi, ut nihil prælum morari poſſit, quam munda jam exarati Operis deſcriptio, in quo verba Patinianæ editionis per omnia retinui, ubique tamen notas, cum novis obſervationibus, &, ubi opus fuit, etiam correctiones adjeci. Religio quippe mihi fuit incomparabilis Fulvii Urſini, cujus ſummi Viri memoria omnium venerationem meretur, cujuſque librum Scaliger Divini elogio affecit, authoritati quicquam detrahere, quod eo gratius futurum ſpero iis, qui veteri editioni jam aſſueti ſunt. In

tabulis æreis ordo & numerus Patinianus servatus est, ita tamen, ut iis semper fuerint insertæ accessiones novorum nummorum, qui suis notis distinguuntur, hocque certo promittere possum, omnes delineationes, sculpturasque ad fidem ipsorum nummorum tam accurate elaboratas esse, ut benevolis Lectoribus sese ipsas sint commendaturæ.

Nummi Consulares Goltzii ordine alphabetico ad finem Operis adjecti sunt, sicut libri Apocryphi Canonicis, quia dubiæ sunt fidei, & major pars haud incertas notas falsitatis præ se fert, licet multo labore illorum explicationes tentaverint Viri Illustres, Enizzo, Pighius aliique, quorum lucubrationes addere placebit; etiamsi ingenii lusus sint, in iis tamen multa discenda rem nummariam perscrutantibus se objiciunt.

Hæc omnia aperire placuit, quia ad

ad me relatum eſt, elegans Opus de Nummis Conſularibus ad editionem feſtinare Amſtelodami in Typographia Huguetanorum, & quia Author in Re-nummaria nulli ſecundus, & Valentiſſimus Valens eſt, (cui inferiorem me agnoſco) Reſpublica literaria de Nummis Conſularibus multo plura comparabit, quam hucuſque apparuerunt, palmam vero labor ipſe ſibi tribuet, quæ & benevoli Lectoris erudito judicio ſubjecta ſit.

Nunc omiſſis pluribus verborum ambagibus ad ipſa recenſenda dubia & obſervationes me ſtatim accingam, atque ex iis primum prodeant ea, quæ in Tuis, *Vir Clariſſime*, Animadverſionibus Hiſtoricis continentur; & quidem in capite primo, ſicut egregia ſunt omnia, quæ de Attiliorum cognomine SARANUS retuliſti; ita vulgares etiam Veterum errores Eruditi Viri judicio detegi & corrigi poſſe, iiſdem comprobaſti.

Capite II. jucundum mihi fuit legere observata de Serviliorum cognomine GEMINVS: quibus etiam conjecturæ Pighianæ de M. & C. ABURIIS, quod fratres fuerint, indeque etiam GEMINI appellati, veritas adstrui potest, etiamsi tres literæ initiales GEM. alia cognomina admittant, & apud Gruterum occurrat ABURIA GENESIS; sed cum Mulier non sit Genesis, sed Geneseos organum, in eam incidi opinionem, forsan ibi genuinum hujus Gentis cognomen notatum, ac postea male descriptum fuisse, sed in literis Tuis humanissimis contrarium probasti. Stephanus Vinandus Pighius, excellens Annalium Romanorum Collector, Gentis hujus nomen deducere conatur ab ABURendo, voce vetusta, sed hæc derivatio Grammaticalis placere nequit. Optima etiam sunt, que de Patino monuisti; nam circa M. & C. Aburios in

in eundem errorem incidit, in quem Sigonius circa M. & G. Servilios, & ratio ejus de duplici Gente ABVRIA nullo nititur fundamento: differentia autem inter Patricios & Plebejos non erat Nobilitas, sed jus petendi quosdam Magistratus: imo prima linea libri Antonii Augustini de Familiis Romanorum (quem ipse Patinus Ursino adjecit) potuisset ipsi indicare, ACILIAM Gentem Plebejam, Nobilem, & paulo post LVTATIAM, Nobilissimam fuisse: quod & de pluribus aliis ibidem perhibetur. Verùm quidem est, quod Livius ait, Patricios Præturam, & Curulem Ædilitatem quæsivisse, tanquam solatium pro amisso Consulatu, sed ante M. & C. Aburiorum tempora Prætura jam ad Plebejos transierat, & primus de plebe Prætor factus est Q. Publilius Philo A. V. C. CDXVI. posteaque numero Prætorum aucto, promiscue Patricii &

Plebeji Prætores creati fuerunt.

Major difficultas resîdet in explicandis Gentis Æmiliæ nummis, qui in Urſino per Patinum aucto Tab. I. n. 5. 6. extant. Siquidem firmiſſime credo, illos ſtante adhuc Republica, & ante imperium Monarchicum fuiſſe conflatos, quoniam ratio fabricæ oculis in re nummaria verſatis nullo modo poteſt concedere, ut uſque in Tiberii Cæſaris tempora rejiciantur, etiamſi caput Concordiæ illud perſuadere poſſet: ſed ad Tiberii templum Concordiæ hos nummos Te non rejeciſſe, docent literæ Tuæ, quia hæc ratio facile evaneſceret ex conſideratione Nummorum Gentis Muſſidiæ, & aliorum, in quibus idem caput Concordiæ apparet, quod ſine dubio Concordiæ Novæ eſt, cui templum ædificari, annuumque ibi Feſtum celebrari juſſit Senatus, quum Julius Cæſar ad bellum adverſus Parthos ſe pararet,

de

de quibus omnibus Dio Lib. XLIIII. Hinc non vana ſequitur concluſio, tales Nummos ad illam Concordiam, vel etiam Triumvirorum ſpectare, cujus expreſſionis tamen potuit eſſe cauſa nobis ignota aut incerta. Si proinde prædicti Nummi ad Lepidi Triumviri fratrem referendi non ſunt, alius Paullus Lepidus erit quærendus, quod per literas doctiſſime tentaſti, hac inductus perſuaſione: nummos hos eſſe cuſos primis vel mediis temporibus Auguſti, quum Paullus Lepidus, cujus Patruus fuit Triumvir, jam Conſul fuerit ſub Triumvirorum dominatione, & dein primis annis Auguſti Cenſor. Illius autem uxor Cornelia fuit, filia Scriboniæ, Uxoris Auguſti, ex qua ille genuit Juliam, ſicuti Paullus Lepidus ex Cornelia filios L. Paullum, & M. Lepidum, qui ad Conſulatum pervenerunt ſub Auguſto. Ab hiſce vel forte a Patre eorum,

ipso Paullo Lepido, Nummos hos cusos certissimo Tibi documento est, quod in iis monumentum Gentis SCRIBONIAE exhibetur, nempe PUTEAL LIBOnis: & Concordiam fraternam inter Paullum & Lepidum filios Censoris denotari tanto magis credis, quia inter eorum Avum L. Paullum, & ejus fratrem, M. Lepidum Triumvirum, celebris fuit discordia. Quæ omnia ex literis Tuis proponere libet, ut etiam alii Eruditi ad penitiorem rei investigationem incitentur. Ubi tamen considerandum, quod ultimis Augusti temporibus non alii fuerint cusi nummi, quam cum effigie ipsius, aut certa minimum nota, illum designante, & hinc credere possemus, illa ætate nullos amplius officinam monetariam exivisse nummos, qui Reipublicæ veteris formam saperent.

In Sexto Nummo Tab. I. hujus Gentis Æmiliæ porro considerandum

dum venit, adſcriptum TER, quod Urſinus ad triplicem triumphum retulit. Id ipſum tamen in Animadverſionibus Tuis Hiſtoricis gravibus argumentis refellitur, putaſque, rationes eſſe firmiſſimas, ſi recte conſiderentur. Æmilium autem TER triumphaſſe, docet inſcriptio ab Urſino allata, & ipſo Pighio vidente, Romæ eruta, prout teſtatur Tom. II. pag. 387. quare non etiam Nummus, ut cum marmore conveniat? at ſi triplex triumphus non arrideat, triduanum forſan per TER notarunt. L. autem Paullum tres inſignes Victorias de tribus diverſis hoſtibus retuliſſe, idque certum eſſe, per literas monuiſti: ſed trophæum non ſolum victoriam, at ipſum triumphum denotare, perſuadet caput ipſius Triumphi in primo nummo Gentis Papiæ apud Urſinum, cui trophæum adjectum eſt, conſpiciendum; imo ſub Imperatoribus

trophæum Triumphum magis infert, quam quadrigæ, quæ sæpissime processum tantum Consularem indicant. Interim si Eruditorum alicui certiora eruere placet, Victoriam, Trophæum & Triumphum illi concedamus.

Gentem hanc ÆMILIAM Illustrissimam nondum possum mittere, sed nonnulla adhuc de eadem hic movere libet problemata. Et quidem, quod ejus primum concernit nummum, in eo plures Regem Aretam exhiberi supplicem autumant, sed sine dubio figura est Arabiæ genuflexa, qualis stans in Trajani nummis comparet. Hoc Æmiliæ Gentis monumentum cum alio diverso nuper admodum in lucem produxit Vir de Re antiquaria meritissimus, Laurentius Begerus, & quidem cum corona radiata dorso cameli imposita, in qua opinione prævium potest adducere Pigh. Tom. III. pag. 362. illam autem nun-

nunquam hactenus observare mihi licuit, sed saltem tegumentum quoddam ad vehenda onera aptum, etiamsi ultra centum ejusmodi nummos viderim, & aliquot ostendere possit Thesaurus Schwartzburgicus: optarem ergo scire, an revera talis nummus reperiatur, quia nullam perspicere possum rationem, cur hæc corona radiata adesse possit: nam Rex Aretas, aliique Reges, diademate, non ejusmodi corona usi sunt, & apud Romanos illo tempore mortis erat signum, quippe qua Divorum capita radiabant. In Nummo Gentis RVSTIAE eadem corona ibidem fuit exhibita, ab aliis pariter nondum observata, sed huc etiam minus quadrat, quia Romani merito in suspicionem venire potuissent, Vota pro Reditu Augusti ea mente solvisse, ut mox Divus fieret, sive moreretur: qua occasione in mentem venit, me de nummo Gentis RVSTIAE doctis-

ſimas nuper legiſſe obſervationes in Rev. Blanchini Epiſtola de lapide Antiati, & in libro de monumentis veteris Antii, quem ſuperiori anno edidit Illuſtris Philippus a Turre, quos Viros, etiamſi mihi noti non ſint, ex unguibus tamen in omni eruditione Leones cognovi. Uterque multus eſt in inquirendis & referendis Fortunis Antiatibus. Sed ſi nummum ipſum conſideramus, prius ex buſtis Romam repræſentare videtur; alterum autem Fortunæ eſt, ex quo datur colligere, Antiates Romam ipſam, ſive figuram ejus pro Fortuna urbis ſuæ coluiſſe, & quia Fortunæ ipſius buſtum illi junctum erat, opinio vulgaris prævaluit, binas eſſe Fortunas Antiates ſive Antiatinas: quod vero SORTES appellatæ fuerint, doctiſſime negat Philippus a Turre, hinc etiam SORS & buſtum ejus in primo nummo Gentis PLAETORIAE ad Antiates reſpicere

cere non posset. Placet autem, quod in laudata Epistola Antiatinæ Sortes fraus Sacerdotum nominentur, quia ejusmodi antiquitatis reliquiæ multis in locis adhuc in pio, scilicet, usu sunt.

In secunda dehinc hujus Gentis tabula adjecit Patinus quartum nummum, quem, etsi unde illum habeat, reticeat, constat tamen desumpsisse ex Tristano, qui eundem cum nomine ΜΑΡΚΟΣ ΛΕΠΙΔΟΣ nobis obtulit: nummus ipse servatur in LVDOVICI MAGNI Thesauro incomparabili, in quo legitur ΝΙΚΙΑΣ, & exhibetur caput nudum Niciæ, qui, ut ait Strabo, Coorum Tyrannus fuit, & teste Julio Polluce, purpura auroque mixtis decoravit scutum: duos ejus nummos jam edidit Goltzius Tab. XXI. Insularum Græciæ, sed in nummis caput Niciæ barba & laurea non ornatur, pluresque alios vidi cum diversis ab aversa parte nominibus.

Ni-

Nicias vero Cous, quem memorat Cicero Epist. Lib. VII. ad Atticum, uti mones., homo Grammaticus fuit, & ad hosce nummos non pertinet.

Quæ in Specimine meo de somnio Sullæ in tertium nummum Tabulæ III. hujus Gentis commentatus sum, Tibi, Vir Doctissime, non placent, nec vides, quomodo referri possint ad Sullam, quum ille Æmilius Buca IIII Vir fuerit sub Cæsare jam Dictatore, eumque in ipsis nummis expresserit, nec ausus fuisset Sullæ memoriam, & decora renovare suis in nummis sub Cæsare, qui inimicissimum expertus est Dictatorem Sullam, & ipsum Faustum Sullam utique interemit. Probabilia quidem hæc sunt, sed incerti sumus, an L. BVCA, qui nummum dedit, idem sit cum L. AEMILIO BVCA IIII Viro: hæc ergo oppositio ad sententiam mutandam non sufficit: figuræ in nummo

mo conſpicuæ, & nummi Gentis Corneliæ per omnia conveniunt cum relatione Plutarchi, ut in explicatione hujus nummi ſomniaſſe vix accuſari merear. Ab Amico etiam ad me relatum fuit, Virum quendam Celeberrimum atque Doctiſſimum, & quidem maximi moduli, (ut termino artis jocari liceat) tres illas figuras interpretari de Somniis Endymionis. Quamvis vero palmam de Somniis nemini invideam, huic tamen opinioni me accedere non poſſe, palam profiteor.

Correctio Patini, qui p. 120. ex literis: L. H TVB. effecit L. Helius Tubero, legendis tamen: L. Hoſtilius Tubulus, inſignis eſt, & judicio Tuo acutiſſimo prorſus digna.

In Diſſert. III. pag. 223. mentio fit Gentis Veturiæ, qua occaſione propono, an non ejus nummi in Patino attribui poſſint Genti Vettiæ, idque ex eo, quod utraque iiſ-

iisdem initialibus utatur, & figuræ in aversa parte, fœdus inter Romulum & Tatium denotantes, potius ad Vettium pertineant, qui mortuo Romulo InterRex fuit, cujus rei memoriam sine dubio quidam ex Vettiis hisce nummis conservare voluerunt. Illud tamen contra Ursinum affirmare non ausim, præsertim quia Te ipsum in partibus ejus stare, ex literis didici. Nam, ut verbis Tuis utar, VETTIA Gens Nova fuit, nec occurrit facile ante bellum Sociale, & civitatem Italicis datam; VETVRIA vero Antiquissima & Patricia, inter primos quippe Consules post ejectos Reges, sæpius memorata, ut adeo quando apud Plutarchum in Numa nominatur Vettius InterRex, prorsus putes, legendum isthæc VETVRIVS vel VETVSIVS, ut tunc dicebantur. Veturii autem multa gesserunt in Republica, ad quæ respicere potuit aver-

aversæ partis typus in illorum nummis. Veturia fuit, quæ filium Coriolanum adegit ad fœdus cum Romanis faciendum, & Urbis obsidionem relinquendam. Veturius fuit, qui infelix illud fœdus Caudinum fecit, quo tamen Exercitus omnis servabatur. Hisce Tuis insuper addo, quæ Doctissimus Begerus in continuatione Thesauri Brandeburgici pag. 592. de istis nummis tradit: Fœdus enim Tulli Hostilii cum Albanis exhibere conjecit. Mones insuper TI: prænomen in Gente VETTIA nusquam reperiri, sed in nummo ipso T. VETTIUS legitur, ut bene observavit Ursinus: Patinus vero literam T omisit, sine dubio hæsitans, an debeat esse L. quia Ursinus de solo L. VETTIO loquitur, illique nummum assignavit.

De capite Augusti in nummo Gentis ARRIAE producto, aliquo modo dubitas, quia barbatum est;

est, & vix pro Augusti agnoscendum: ipsius tamen esse, ex sequentibus apparebit. Primo perpendendum est, hunc nummum statim post Cæsaris necem fuisse conflatum, antequam vera Augusti effigies Romæ esset nota, ac præsertim Sculptoribus; hinc nomen Cæsaris sive Augusti non adjectum cernitur, quoniam Arrius anxius adhuc erat, & eventus de rebus Cæsaris dubius ac incertus. Idem colligitur ex nummis aliis, e. g. illo quem pag. 251. n. 5. Ursinus affert, qui statim post Cæsaris obitum fuit cusus a T. Sempronio, in quo caput quoddam exprimitur, quod nullo modo Augusto tribui posset sine adjectis literis: DIVI JULI F. estque quodammodo senile ac barbatum, perinde ac in Arrii nummo, quæ omnia etiam conspiciuntur in rarissimo nummo aureo Gentis Voconiæ operi accessuro, itemque illo, qui pag. 136.
n.

n. 6. occurrit, ubi vix quiſpiam caput Caji Cæſaris vel Auguſti conjiceret, ſi additum nomen id non doceret. Hujuſque generis adhuc, & diverſi paſſim reperiuntur. Nam Auguſtus barbatus deprehenditur in nummis, cum jam fuiſſet III. VIR R. P. C. ſicut Antonius & Lepidus; ex quo fluit, illos barbam aluiſſe propter luctum ob Cæſaris interitum, quod plurimi non obſervantes Lepido attribuerunt nummos Antonii caput referentes, in Gentibus Sepullia & Vibia. Novimus præterea ex Dione, Auguſtum barbam nutriviſſe, primamque demum depoſuiſſe quinto poſt Cæſaris necem anno. Quas rationes ſatis roboris habere crederem ad caput hoc Auguſto in nummo Arrii vindicandum.

In ſecundo nummo Gentis FLAVIAE diſtincte occurrit caput Apollinis cum lyra, ſed quamvis plurimi hujuſmodi nummi in conſpe-

ctum

ctum meum venerint, tamen non satis accurate affirmare possum, an legendum sit: HEMIS, vel HEMIC. THEMIS vero legendum esse conjecisti in Dissertatione III. pag. 248. & seq. Per literas autem fassus es, Te rei veritatem excogitare non posse, si non sit HEMINa, quod cognomen uni Cassio peculiare fuit. Interim persuadeor, HEMIS vel HEMIC. non esse cognomen Familiæ, sed initium cognominis cujusdam Apollinis a loco desumpti, ubi colebatur, quia tales denominationes Deorum fere innumeræ sunt, &, si conjecturis indulgendum, forte ab Hemissenis in Cœle Syria, sive ab Hemichara, oppido Siciliæ, deductum est, quo significaretur, C. Flavium in istis locis Magistratum gessisse, vel illustre quoddam facinus edidisse; si vero hæc non placeant, Apollo ipse erit rogandus, ut certiora aperire velit.

Quod

Quod MVSA cognomen fuerit usitatum, certum est, quia Antonius Musa, Augusti Medicus, eodem utebatur, sed an fuerit cognomen Gentis POMPONIAE, non sine ratione dubitatur, quia nusquam reperitur ulli Pomponio tributum: quapropter literæ Tuæ valde persuadent, Herculem Musarum, Musasque ipsas a Pomponiis in Gentis nummis expressas fuisse, quia plures in ea Gente exstiterint Poëtæ. Incertum tamen est, an Musarum nummi a Pomponio Rufo cusi sint, etiamsi Vir doctus fuerit: nam firmissime credo, secundum nummum Tabulæ III. percusum fuisse errore monetali, jungendo caput tertii nummi Tab. I. aversæ parti tertii nummi in Tabula secunda. Obiter etiam mones, Antonium Musam in metro Horatiano MVSVS vocari, qua occasione in mentem venit, nummos extare Tiberii, cum inscriptio-

ne: M. ANT. MVSO &c. & talem edidit Cl. Vaillant in Colon. pag. 121.

Hactenus, Vir Eximie, quæ ad Te propius ſpectant, attigi: nunc patere, ut alia quoque adjungam, & non Tuam tantum, ſed & aliorum Virorum in his ſtudiis verſatorum, ſententiam de his quoque rogem; pergo igitur ad quædam nummos Urſini ac Patini cum maxime concernentia, ubi præcipue errores per ſupinam ſive Authoris ſive Sculptorum negligentiam commiſſos, quaſi per tranſennam notaſſe juvabit. Sint ergo ſpeciminis ſaltem loco Tabulæ I. nummus quintus in Gente ABVRIA, qui argenteus nobis repræſentatur pro æreo, &, quod mireris, peſſime inſuper delineatus, & longe majori cum accuratione ab Antonio Auguſtino in ſuis Dialogis in lucem jam productus. In Tabula V. Gentis Antoniæ num. 3. & 6. pro gal-

lo

lo gallinaceo in nummis corvus visitur, quamvis & Goltzius aliique eodem modo erraverint. In undecima ejusdem Gentis Tabula nummus militem galeatum offert, ac seminudum, cum Antonii statuam nudo capite sistere debuisset. Pro viro nudo campanulam tenente Tab. I. num. 8. Gentis CASSIAE Goltzius jam, & quidem rectissime, libertatem triumphantem sculpserat pileumque tenentem. Gentis CORNELIAE nummus Tab. I. n. 2. ab illa parte, quæ capite insignis est, & vocem ROMA: & ab aversa Victoriam malleum, quo trophæum erigit, tenentem ostendere debuisset. Sirenem aut Tritonem, qui num. 4. in Gente COSSVTIA occurrit, Rhodiorum Rosam sive Balaustium esse, instituto nummi accuratiori examine, deprehendi. Ara cum imposito serpente media inter duas Jani facies deest in secundo Familiæ EPPIAE nummo,

 quod

quod idem & in septimo Gentis RVBRIAE accidit. Unde enasci posset conjectura, fuisse ex hisce Familiis Legatos ad accersendum ex Epidauro Æsculapium missos; sed ad rem Medicam potius nummos hosce pertinere reor, comprobante id Plinii testimonio, Rubrios inter celeberrimos Medicos apud Principes recensentis. Male Patinus in primo Familiæ FVRIAE nummo FVR. reposuit pro literis PVR, ab Ursino ita recte datis, ac nihil aliud, quam initiales cognominis PVRPVREO exponentibus, cujus certissimum indicium in ipso nummo deprehendimus, concham scilicet Tyriam, purpuram ex se generantem, minime vero Scorpionem, quem insculpserunt. Cæterum multo plura hic afferenda lubens transeo, contentus illorum modo dedisse gustum, & Benev. Lectorem ad hujusmodi correctionum vel mille dapes, si quæ sunt,

funt, in ipſo opere apponendas hoc ipſo invitaſſe.

Ex plurimis novis a me producendis, & ordine alphabetico inſerendis Familiis duas tantum nominabo. Una eſt CRITONIA, ab Urſino jam quidem in tertio nummo Gentis CREPVSIAE, eodem cum ſecundo nummo Gentis FANNIAE adducta, ipſi tamen & aliis hactenus ignorata. Nam literæ L. CRT. in ipſo conſpicuæ, quid volunt aliud, quam Ædilem CRITONIVM, de quo Appianus Lib. III. Civil. & quidem tam clare, quaſi nummum ipſum explicare voluiſſet, huncque locum jam obſervavit Pighius Tom. III. pag. 467. in quo Romanorum annalium Conditore maxima erat diligentia, ita, ut ex ejus laboribus quam plurima diſcere poſſimus, & memoria tanti Viri omnibus gratiſſima eſſe debeat.

Alterius Gentis, AVFIDIAE

 ſci-

ſcilicet, memoriam nobis ſuggerit nummus, qui Verſaliæ aſſervatur in Theſauro Regio. Una enim ejus pars legendum offert: M. AF. ROMA; averſa vero RVSO. Diu jam eſt, ingenue fateor, quod fruſtra hujus nummi quæſiverim interpretationem, donec nuper diligentius in eam mihi inquirenti ex Taciti annalium lib. VI. occurreret Abudius Ruſo functus Ædilitate; quo lecto perſuaſus fui, nomen hoc corruptum eſſe, & præeunte nobis nummo, AVFIDIVS RVSO legi & reſtitui debere. An vero recte, an minus, judicent me Doctiores, quia varia ſe præbent obſtacula: in quibuſdam Taciti exemplaribus legitur Abudius Ruſo, idemque Lib. I. nominat Aufidienum Rufum, ut nihil dicam de hujus Gentis cognominibus, Baſſus & Luſcus. Abutius Tertius refertur in Antiquitatibus Italicis apud Glandorpium. Interim quæ-

dam

dam conjicere liceat de Gentis AVFIDIAE origine. Aufidus amnis Romanorum clade ad Cannas celebris forſan hanc dedit, & ejus accolæ civitatem adepti inde denominati fuere, ſicque Ruſo Aufidius Gentem hanc Romam miſit. In ejuſmodi conjecturis audax ero, non ut credi velim, ſed ut occaſionem ulterioris inveſtigationis benevolis Lectoribus objiciam, etiamque diſcam.

Sequantur nunc dubia quædam, nonnullaque noviter a me obſervata, & quidem de ACCOLEIAE Gentis unico nummo ſingulari quædam proponere libet, quamvis non propugnare. In illo an Phaëthontis ſorores compareant, nonnulli dubitant, quibus vero ex rationibus id ab ipſis fiat, non capio: nam etſi illæ tanquam ſtatuæ expreſſæ ſint: potuit tamen eſſe, ut iſto modo ad ornamentum ædificii cujuſdam fuerint exſtructæ: ramuſculi

illi speciem arboris indicant, resinam ferentis, sicut pinus, & forsan hæ figuræ olim balneum quoddam ornarunt; summe laudandus Begerus in continuatione Thesauri Brandenburgici conjicit, bustum muliebre, quod ab aversa parte cernitur, Clymenes esse Matris, quæ Phaëthontis casum deflevit. Ex statuis autem cum eodem tegmine capitis, capillis, & vestimentis, quæ ad nummi caput dignoscendum juvare possunt, concludi potest Veneris esse, vel mulieris balneo utentis. Hoc insuper notandum, quod ejusmodi statuæ vel figuræ semper una manu globulum teneant (non pomum, de quo erat judicium Paridis) quem aromaticum fuisse, firmiter credo, eundemque in usum balneatricum confectum ex resina e laricibus præter aromata. Nollem interim opinionem Amici cujusdam amplecti de isto globo, cum jam Plinium puduerit

duerit profiteri, qualis fuerit uſus cujuſdam reſinæ apud Viros.

Primus Gentis ACILIAE nummus in Goltzii Faſtis Ære magno exſtat, Patinus vero eundem æris minimi nota ſignavit, quia Urſinus nummis ſuis magnitudinem non adjecit. Ego unicum vidi Verſaliæ in Theſauro Regio ex Ære magno; ſed artificis manu noviter ita reſtitutum, ut in teſtimonium adduci nequeat. Reperiuntur vero multi adhuc nummi apud Coios conflati cum capite Æſculapii & ſerpente, hinc ſuſpicari quis poſſet, nummum hunc ipſum Urſini ad hanc Familiam non ſpectare. Novi interim, Eruditis non probari Romanorum III. VIROS VALETVDINARIOS, quos Patinus ex primo & tertio nummo elicuit. Ad laudes potius rei Medicæ facere iſtos, Plinius confirmat, tradens, primum e Medicis veniſſe Romam Peloponneſo Archagathum, Lyſa-

niæ filium, eique jus Quiritium datum fuisse, & tabernam in compito Acilio emptam ob id publice, ut jam observavit Pighius. Subsumere exinde nobis licet, Acilios hujus rei memoria gloriari voluisse, si non Authores exstiterunt Collegii Æsculapii & Hygeæ, de quo insignem nobis communicat inscriptionem Jacobus Sponius in Misc. erud. antiq. Sect. II. Art. XI. Quæ si pluribus corroborari queant testimoniis, eo certius nostrum redderetur assertum.

Quintus nummus Tabulæ I. in Gente ANTONIA indicat, C. Antonium (qui, ut ait Cicero de hoc suo in Consulatu collega, duorum fratrum ætatibus medius interjectus, vitiis cum utroque certabat, & semper in ore habebat Macedoniam Provinciam) in isto nummo exprimi jussisse caput Macedoniæ; siquidem exacte observavi, caput esse fœmininum cum crinibus

nibus intortis, & hujus plane figuræ mulier cum eodem pileo capiti imposito visitur in nummis Hadriani, cum epigraphis: RESTITVTORI MACEDONIAE: & ADVENTVI AVG. MACEDONIAE. Nullo proinde modo dubitare licet, C. Antonium hoc nummo & Macedoniæ emblemate laudem quæsivisse, quamvis hanc Provinciam prave & avare administrasset. In nummo Cn. Plancii idem caput Macedoniæ apparet, (quamvis alii propter pileum Libertati assignare voluerint) in aversa vero parte capra cum arcu & pharetra, quæ symbola alias Ædilitatis esse solent. Cum autem ejusmodi capra in plurimis Ægensium nummis etiam occurrat, & hujus figuræ nummum nobis Emin. Cardin. Noris (in quo, teste Illustri Philippo a Turre, singulos laudum titulos, & summum locum doctrina sibi vindicante, amplissima

dignitas accessio est) in Epochis Syro-Macedonum exhibeat, credere possemus Cn. Plancium ab una parte nummi Macedoniam, ab altera vero ejus Regiam exprimere voluisse, si non adessent arcus & pharetra, quæ in ludis consuetas venationes denotare creduntur. Tres reliqui hujus Tabellæ nummi caput Solis non uno modo continent, idque Nonnius eo refert, quod Antonius in Ægypto Osiris appellari voluerit, qui idem cum Sole sit. Sed vero propius accedere videtur, hosce nummos vel Rhodi vel in honorem Rhodiorum fuisse cusos. Nam hanc Insulam M. Antonio fuisse adjudicatam novimus, quum Triumviri Romanum inter se dividerent imperium. Ejusmodi etiam capita in nummis Rhodiorum sunt frequentia, nec mirandum, Rhodios hisce nummis ad fidem & amicitiam fuisse incitatos, cum constet, idem paulo an-

te & Caſſium feciſſe, uti in nummis Caſſiæ & Serviliæ Familiarum apparet. Præterea M. Antonius Rhodiorum auxilio navali imprimis ante pugnam Actiacam habebat opus, & in nummo tanquam Augur in ſpem Victoriæ, adjuvante Sole, Rhodiorum Numine, quod caput ab altera parte indicat, cernitur.

Tres primi ſequentis ſecundæ Tabellæ cum impreſſis ſerpentibus in eadem Gente ANTONIA tantas excitarunt inter Eruditos diſputationes, ut Cl. Gevartii explicatio (qui cum indignatione, referente Triſtano, probare conatus eſt, quod ſerpentes ſymbola ſint belli, perſecutionis, peſtis, odii & inimicitiæ) per jocum veriſſima exiſtimari poſſit: quidam opinati ſunt, hoſce nummos in Creta fuiſſe cuſos propter ſimilitudinem figurarum, & quia M. Antonii Pater Creticus appellatus fuit, quod tamen nihil ad

rem facere poteſt, quia Cretenſibus bellum inferens, re male geſta animi dolore morbo correptus interiit: hinc incredibile eſt, Cretenſes in nummis Filii, Patris odioſam memoriam conſervare voluiſſe. Sed hi nummi nihil aliud indicare videntur, quam ſtultitiam M. Antonii, qui ſe Bacchum alterum nominavit, & hoc nomen ſibi ab aliis tribui voluit. Athenis id primum quidem emanavit, & quum Athenienſes inter reliquos honores ei Minervam etiam deſpondiſſent, probare ſe id matrimonium dixerat, ſed dotis nomine ſimul quadragies ſeſtertium ab illis exegit. Adulantes ergo Aſiatici non ultimi eſſe cupientes in acquirenda Antonii gratia, id propter in ſecundo nummo Bacchum ſignarunt, ut & in primo caput Cleopatræ: Sapientiores Athenienſibus, Antonio Baccho Cleopatram jungentes tanquam novam Deam, ſed Reginam, quæ

pro

pro dote regnum attulisset, ut adeo sic ab illis dos exigi non potuerit. Propterea etiam nummis VII. VIII. & IX. Tabellæ, thyrsi navibus impositi conspiciuntur, quibus copula illa magis indicetur. Quod vero post victum & sublatum Antonium Augustus nummulum cudi curavit, cum inscriptione: ASIA RECEPTA, duobus insuper serpentibus & victoriola cistæ imposita, non ad hosce nummos respicere videtur, sed ad ea, quæ Alexandro, Asiam invadenti, contigerunt: delatus enim ille in continentem, jaculum velut in hostilem terram conjecit, & armatus de navi prosiluit; cum autem cecidisset, & mox visi essent duo serpentes, hoc omnes in optimum augurium interpretati sunt, quasi jam totam teneret Asiam. Hujus forsan rei traditio ad Augustum pervenit, qui Alexandri memoriam magna semper cum veneratione coluit,

luit, ejusque corpus Alexandriæ inspexit, Ptolemæorum autem corpora spectare noluit, Regem se, non mortuos, videre voluisse, dicens.

In eadem Gente ANTONIA Tab. IV. num. 5. & 6. exstant duo nummi in Ursino ad Gentem Fontejam relati, prout etiam rei antiquariæ peritissimus J. Vaillantius in Historia Ptolemæorum pag. 191. illos eo retulit; sed firmiter credo, Patinum errasse, illosque nummos ad Gentem Oppiam rectius referri, quod pluribus probari posset rationibus. Interim enixe rogo, ut, si quis ejusmodi nummos noverit, vel possideat, me certiorem reddere, & de nummis inscriptis literis edocere dignetur; idemque de BIBULI, OPPII, & ATRATINI nummis expeto. Nam plurimos vidi, qui inscriptionibus differunt ab illis, quos supra memoratus, summeque laudandus Vaillantius ibidem edidit.

Sep-

Septimus AQUILLIAE Gentis nummus florem monſtrat ex curru triumphali ſurgentem, vix tamen eo interpretandum, quaſi ex eodem FLORI cognomen Gens illa traxerit, quia & eædem quadrigæ in Gente DURMIA & alibi, imo etiam in nummis Titi ſtatim poſt obitum Patris Veſpaſiani cuſis comparent, hinc non ſine cauſa Albertus Rubenius, cujus memoria omnibus rei antiquariæ cultoribus merito ſancta eſſe debet, exiſtimavit, eſſe thenſam Circenſem, aut ferculum quoddam triumphale cum impoſito floſculo, aut alio ornamento. Æneas Vicus pro eo ponit ignem in ara quaſi lucentem; alii florem Spei eſſe reputarunt. Amicus quidem noſter florem eſſe aromaticum credit, & quandam in Arabia expeditionem deſignare, aut ramuſculos eſſe, vel folia celeberrimi Syriæ Balſami; ſed cum odore flos ille plane careat omni, ori-

ginem

ginem ejus mihi odorari hactenus conceſſum non fuit, neſcio an alii.

Quid indicent Centauri in nummis Gentis AURELIAE, illius Oedipum quæro. Scio quidem Illuſtr. Cuperum ingenioſe ad pugnam Pharſalicam illos accommodare; ſed forſan ſpecialius quid indigitant, quia in nummis Aureliopolitarum ſub Imperatoribus pariter Centauri conſpiciuntur, cauſam vero ejus hactenus indagare potis non fui.

Quid ſentiendum ſit de Gente BELLIA, & an revera antiquitus Duilia vel Duellia denominata fuerit, non ſatis conſtare mihi videtur, quapropter informationis deſiderio laboro. BELLIO reſcribitur a Severo & Anton. 8. Cod. tit. 14. de pignoribus, ut refert Glandorpius. Qua occaſione obſervandum, hujus Gentis nummum in Patino non eſſe Auguſti, ſed Caligulæ, inde inutilia ſunt omnia, quæ

de

de M. Bellio ſub Antonio & Auguſto, ejuſque Duumviratu navali tradit. In Opere vero de Ære medio Patinus hunc nummum ipſum Auguſto & Caligulæ mendoſe tribuit, quod quidem Cl. Vaillant in Col. pag. 45. obſervavit, tamen nummum ipſum Auguſto aſſignavit, quod maxime miror, nam aſſervatur in Theſauro Regio Verſaliæ, & ejus inſpectio Caligulam indicare potuiſſet.

Quamvis abſque peccato credere poſſimus, & ipſa Hiſtoria teſtetur, in quamplurimis Familiis Romanis inſignes exſtitiſſe Cornutos reales; tamen hucuſque ex nummis non apparuit, ad quam Gentem Cornuti cognomen pertineat, id nobis indicat rariſſimus nummus Gentis CAECILIAE, quo ſuperbit LUDOVICI MAGNI TheſaurusVerſaliæ: lectionem ejus in Gallia aſſequi non potui, nunc autem ichthyocollam nummi expreſſam diligen-

gentius examinans, legi ab una parte ΑΜΙΣΟΥ, circa caput Palladis, ab aversa vero spectatur Roma sedens, cum hac epigraphe: ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΚΑΙΚΙΛΙΟΥ ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ, ac infra ΡΩΜΗ, quæ omnia conveniunt cum nummis C. Papirii Carbonis in Bithynia cusis; nam Amisus, Ponti urbs, eodem modo Romam venerabatur, quia Pompejus Pontum Bithyniæ addiderat. Epochæ vestigia nulla apparent in ichthyocolla, quapropter Virum omni virtute ac eruditione præstantissimum Dn. Oudinetum, qui nunc summa cum laude hujus incomparabilis Thesauri custodia fungitur, submisse rogatum cupio, ut pro humanitate ac amicitia, quam singularem semper expertus sum, me de vera lectione & Epochæ literis numeralibus hærentem erudire non intermittat.

Eadem prope difficultas sese exerit in flore nummorum CASSIAE &

& SERVILIAE Familiarum, ſine dubio tamen ad Rhodios pertinentium, Roſamque Rhodiorum præ ſe ferentium. Si quidem in primo nummo Tabulæ II. flos, ſive roſa ramuſculo in imo nummi juncta, in ſecundo vero diſtinctius expreſſa deprehenditur; quamvis & alii acroſtolium eſſe contendant. Sed de his elegantiſſima pro more ſuo jam tradidit Illuſtriſſimus Spanhemius in Diſſertat. pag. 273. & ſeq. quem Oraculum velut Delphicum, ſummumque Patronum conſulturus de his omnibus adiiſſem, ſi terram illam ſcirem, quæ Saluti publicæ unice litantem Magnum illum Virum jam contineat.

Nunc videamus, quid ſignificet vexillum a poſteriore parte capitis C. COELII CALDI. Signum Hiſpanicum eſſe, probant ipſæ literæ impreſſæ: HIS, & in alio ejuſdem Caldi nummo cernitur ſignum militare, ſuis inſiſtentis figu-

ra conſpicuum, quod Hiſpanicum eſſe, clarum redditur ex nummo in Hiſpania cuſo, a me ipſi operi inſerendo, in quo eques ejuſmodi ſignum militare geſtans conſpicitur. In alio hujus Gentis nummo in Doctiſſimi Begeri continuatione Theſauri Brandeburgici lancea cernitur, quo idem probatur: nam lanceam non Latinum, ſed Hiſpanicum vocabulum eſſe, docet Varro apud A. Gellium Lib. XV, cap. 30. hinc ſine dubio hoc armorum genus ex Hiſpania allatum fuit, & forſan ex Lancia, Urbe Aſturiæ maxima, ubi indubie inſignis armorum fabrica fuit, indeque vocabulum lancea ortum: hanc Urbem T. Cariſius expugnavit, & in ejus nummis lancea Hiſpanicis armis jungitur. De C. Cœlii rebus fortiter in Hiſpania geſtis ambigitur, & Pighius contenta iſtius Numiſmatis ad fabulas retulit, conjiciendo, Caldum Triumvirum rei moneta-

riæ ſtirpem ſuam vana Nobilitate exaltare voluiſſe, nam C. Cælius Caldus Conſul novus erat homo, qui haud parvis nobilium inimicitiis ad ſummos honores contendit, quapropter ambigo, an caput in nummo expreſſum illius ſit. Cœliorum autem nomen apud Romanos illuſtre fuit, a primis Urbis temporibus, & dupliciter ſcribitur per OE, & AE, hinc intricata eſt hujus Gentis Hiſtoria. Cœlii per OE Principem Gentis ſuæ adduxerunt Cœlium Vibennam, Tuſcorum Ducem Nobilem, qui Romulo Regi contra Sabinos cum ſuis auxilio venit, & in Urbe remanens monti Cœlio nomen dedit: Qui per AE ſcribunt, ab antiquiſſimo Deorum Cælo Gentem deduxerunt: præbent itaque hi nummi non contemnendam occaſionem, ut ulterior inquiſitio inſtituatur: idem fiat de nummo Liviæ Æreo, ex quo Patinus in omiſſis Gentem

CE-

CELIAM eruere conatus eſt; at cum nummum ipſum Verſaliæ in Theſauro Regio inſpexiſſem, errorem Patini facile quidem deprehendi, ſed veram Nummi inſcriptionem nec aſſecutus ſum, nec intellexi; ſequentia tamen mihi apparuerunt: T. RUSTI CEL. IUS. L. vel C. CORDUS II. VIR. QUINQ. D. D. Literæ prænominum non ſatis expreſſæ ſunt, ſed CEL. IUS diſtinctè puncto intermedio dividitur, poteſt ergo legi: T. Ruſticelius, vel Ruſticelius Juſtus. L. vel C. Cordus &c. Qua lectione uterque Duumvir denominatur. Interim de hujus nummi vera lectione ſupra memoratum auxilium a Dn. Oudineto expeto: hæc Patini correctio ingenioſa, reique veritati proxima debetur Rev. Raph. Fabreto, cujus memoria benedicta ſit, illumque legant plura expetentes. L. vel C. Cordus forſan Pater vel Frater fuit A. Cremutii

mutii Cordi, qui ſub Tiberio crimine poſtulatus, egreſſus e Senatu vitam abſtinentia finivit, & filiam reliquit Martiam, a qua Livia culta eſt, uti notavit Glandorpius.

Joh. Vaillant, quo in re nummaria vix verſatior alter, inter nummos Coloniarum, Tiberii unum evulgavit, hujus inſcriptionis: PERMIS. P. DOLABELLAE PRO. COS. eundemque in Africa ſignatum non ſine ratione exiſtimavit. Alius habetur in Anglia maximi fere moduli, cujus ichthyocollam mihi humaniſſime ſubmiſit Illuſtriſſ. Spanhemii ex ſorore Nepos Nobiliſſ. Bonnetus, hanc ſuſtinentem epigraphen: PERMIS. P. CORNELI DOLABELLAE PRO COS. quam ſequuntur ſeptem literæ aliæ detritæ, quæ tamen hæ videntur: CPCASDD. In area cernitur Mercurius nudus ac elegantiſſime effictus, inter has majoris formæ literas C. P. Quia

vero hic nummus ex Morea sive Peloponneso in Angliam fuit translatus, exinde nonnulli hanc conceperunt opinionem, cusum illum fuisse in Colonia Patrensi: sed cum hæc urbs in nummis illius temporis C. A. A. P. Colonia Aroë Augusta Patrensis, communiter audiat, & nummus Drusi apud Cl. Vaillantium p. 134. cum capite Mercurii in Africa Provincia percussus videatur, litem hanc meam non faciam, sed ejus decisionem peritioribus relinquam.

Nummus septimus Gentis FONTEIAE, prout credo, sub Claudio Imperatore demum apparuit, quia iidem II. Viri reperiuntur in nummis Messalinæ. Tres differentes exhibiturus sum, sed nullum adhuc vidi, ex quo Colonia vel Urbs, quæ illos cusos dederit, colligi queat.

Sequitur in Gente CASSIA Tab. II. num. 8. nummus Æreus, qui

&

& idem reperitur in Familia LIVIA. In nummis ipsis rostrum navis impressum est, ac tres hæ literæ: D. S. S. quibus manifestum fit, naves illas DEO SEMONI SANCO fuisse sacras, de quo egregia jam in Fulvio Ursino p. 305. legenda sunt.

Venio ad quintum nummum Gentis LOLLIAE, credoque, illum cum tertio ejusdem Gentis concernere Lollium, qui Gallo-Græciam in Provinciæ formam redactam primus tenuit, quem quidem Rufinus M. Lollium nominat, sed in Prænomine facile peccare potuit. Hunc nummum etiam vidit Excell. Pighius, putavitque, caput in illo expressum esse Deæ Basilidis vel Basilissæ Veneris, quia adest sceptrum Regium, & sub capitis mento litera B, quam Patinus omisit, quæque forsan denotat, caput esse Βασιλέως vel Βασιλέιας, sed hoc incertum est, quia alium perspexi

nummulum Æreum cum capite diademato, poſtica inſcriptum: ΛΟΛΛΙΟΥ B. ſicque B. nomen ipſius Lollii immediate ſequitur, exhibetque caduceum cum papavere & ſpica, quæ in alio nummo Titi Veſpaſiani occurrunt adjecto monogrammate, literiſque nummum ipſum in Galatia cuſum fuiſſe, clare indicantibus. Hæc omnia mihi perſuadent, caput quinto nummo Gentis LOLLIÆ impreſſum, eſſe Dejotari, Galatiæ Regis, quod iſte apud Romanos magni æſtimaretur, &, teſte Cicerone, unus haberetur in orbe terrarum fideliſſimus imperio, atque amantiſſimus Romani nominis. Hinc ſine dubio memoriam ejus nummis conſervarunt, etiamſi cum filio jam mortuus fuiſſet: nam Amyntas, Dejotari ſcriba, quem M. Antonius Galatiæ Principem conſtituit, non magnæ authoritatis erat ſub Auguſto, quapropter illo mortuo Regnum

gnum filiis ejus non tradidit, sed Provinciam P. R. fecit. De litera B insuper notandum, me illam observasse sub cervo sexti hujus Gentis nummi pro IZ, quas Patini nummus exhibet, inde non sine ratione colligere possemus, easdem literas esse numerales propter variationem, etiamsi Pighius literam F observasse putaverit, indeque conjecerit, in hoc nummo repræsentari Fascellinam: quod Aricinæ Dianæ cognomen fuit ad lucum Nemorensem. In aversa quinti nummi sub sella Curuli etiam litera Γ conspicitur, quæ an Galatiam ipsam vel Γερουσίαν indicet, id peritiores me edoceant. Ὡς ἐν παρόδῳ addo, quartum nummum dictæ modo LOLLIAE Gentis cum capite Tiberii fuisse conflatum, quamvis summe laudandus Vaillantius in nummis Coloniarum asserat, nullum esse in Re antiquaria tam parum versatum, qui Augusti effi-

giem in hoc nummo non agnoſcat.

Forte unum ac alterum moveri poſſet dubium de expoſitione trium ultimorum nummorum Gentis MAECILIAE, & an Urſinus ac Patinus recte huic Familiæ illos tribuerint: qua occaſione referam nummum Veſpaſiani, mihi viſum apud Abbatem Biſotium, meliori, quam expertus eſt, fortuna dignum, qui inſcriptus erat: ΕΠΙ Μ. ΜΑΙΚΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, exhibetque figuram ſtantem aratrum & temonem tenentem cum literis ΒΙΘΥΝΙΑ. Sed cum de hujus nummi fide indubia per omnia mihi non ſatis conſtet, præſentem ejus poſſeſſorem (quem credo eſſe Virum Summum, Nicolaum Joſephum Foucault, Galliarum Regi a Conſiliis, & Neuſtriæ Præfectum, quique ditiſſimo ſuo nummorum Theſauro peritiſſimum Gallandum præfecit) hiſce obſecro, velit me de illa informare, atque quam proxime: hu-

hujus nummi tamen vera lectio confirmatur alio nummo Domitiani adhuc Cæsaris in Thesauro Regio Versaliæ, in quo circa clypeum eadem inscriptio M. Mæcii Rufi Proconsulis legitur, & non ΕΠΙ Μ. ΜΑΡΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, prout descripsit & edidit Cl. Vaillant. De Mæcia Gente nihil reperi, quia autem Romæ Tribus MÆCIA erat, quare non & Gens hoc nomine appellata. Metii autem plurimi fuerunt, & Mæcii aliquot nominantur in inscriptionibus Gruteri.

Reperitur nummus, qui primo Gentis OPPIÆ plane similis, præter quod capiti Capricornus adhæret, & quoniam hujus Familiæ nummi omnes ad res navales spectant, conjectura mea eo redit, Capricornum in Augusti nummis nihil aliud denotare, quam summum Imperium victoria navali Actiaca fuisse ab Augusto acquisitum. Nam

hujus generis fortunam Capricornum inferre, pluribus & eleganter carmine exposuit Manilius. Ut adeo Suetonii fides vacillet, nummos, inquientis, Capricorno notatos, thema natalitii Augusti designare, præsertim cum a Viris doctis jam sit evictum, Capricornum natale Augusti sidus minime exstitisse.

In Familia PAPIRIA duo sunt nummi Græci, quibus quatuor adhuc alios in Opere meo additurus sum cum literis numeralibus ΔΚΣ, annos 224. exprimentibus. Quis autem in iis occurrens C. Papirius Carbo fuerit, exponit Dio Lib. XXXVI. illeque Bithyniam tenuit A. V. C. circiter 699. & quidem annis aliquot, postquam M. Cottam accusasset, a cujus filio Patrem ulturo, ipse postea fuit accusatus: inquirendum nunc, quo anno inceperit hæc Bithyniæ Epocha: hoc colligere datur ex nummis Gentis VIBIAE, in quorum duobus NI-

KO-

ΚΟΜΗΔΕΩΝ legitur, circum caput Cybeles turritum, & ab aversa parte aquila fulmini insistit, cum hac inscriptione: ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ, quibus literæ ΒΛΣ additæ, annum 232. denotantes. In alio tertio caput Julii Cæsaris exprimitur cum iisdem inscriptionibus. At hi nummi cudi non potuerunt ante Bithyniæ recuperationem, quæ facta est A. V. C. 707. cum Julius Cæsar VENIT, VIDIT, & Pharnacem VICIT. Inde si 232. annos retrogradimur, incidimus in A. V. C. 475. sed quia hæc victoria exeunte demum anno parta est, certior statuitur retrogressus ab Anno sequenti V. C. 708. quo facto, Epocha inciperet A. V. C. 476. & hoc anno Nicomedes fratrem Zipœtum auxilio Gallorum vicit, Bithyniaque omnis in ejus ditionem concessit: Galli tamen regnum cum Nicomede dividentes Regionem a se possessam Gallo-Græciam cogno-

minaverunt. Caput autem Julii Cæſaris in nummo expreſſum ſine dubio indicat, cuſum illum fuiſſe eodem anno, quo Senatus monetam Julii Cæſaris imagine ſignare decrevit, ſi non velimus credere adulatores in Provinciis Julio Cæſari hunc honorem citius, quam Senatus, attribuiſſe. Memoratum Julii Cæſaris nummum luci publicæ jam expoſuit Clariſſimus Vaillantius in ſuis Græcis Imperatorum numiſmatibus p. 1. ſed iſtud miror, quod illum Pergamenis adſcripſerit.

Non una Eruditis de duobus primis nummis Gentis SANQUINIAE eſt ſententia. Clariſſ. Vaillant in illis caput Caſtoris exprimi credidit; Clariſſ. vero Begerus rectius caput ipſius Auguſti repræſentari exiſtimavit, quaſi Divi Cæſaris ſpiritu animatum, propter ſtellam crinitam capiti imminentem. Uterque nummus aſſervatur in Theſauro

ſauro Schwartzburgico, pluresque alios contemplatus ſum alibi, ex quibus tamen nihil aliud colligere mihi licuit, quam caput eſſe ipſius Julii Cæſaris, a Goltzio & aliis jam ita expreſſum. Facies equidem cum Auguſti delineamentis convenit, ſed figura & ambitus totius capitis Julium indicant, præſertim cum ſculptorum in exprimendis capitibus non eadem ſemper fuerit accuratio.

Tertius nummus Tab. II. Gentis SEMPRONIÆ eſt, ſi Patino credere velimus, capite Auguſti inſignis; accuratius illum vero edidit ſupra nobis laudatus Begerus cum capite cornuto, & in averſa parte additis literis ΠΥΘΙ. Ego quidem aliquot iſtorum nummorum inſpexi, ſed quod fateri ſimul habeo, omnes tam mutili atque corrupti erant, ut rei veritatem ex iis dignoſcere nequiverim: horum unus caput Julii Cæſaris exhibere mihi fuit

visus, in quo laurea sic eminet, ut caput cornutum esse videatur: in alio caput muliebre velatum apparet, quæ tamen pro certo affirmare non ausim. Gratissimum ergo mihi accideret, si integrioris nummi possessor accuratam ejus delineationem submittere vellet. Ex additis literis ΠΥΘΙ conjicere licet, SEMPRONIAM Gentem a Pythii denominatione Cognomen desumpsisse; nam alium nummum delineavi, in quo ab una parte caput Jani bifrontis cum literis ΠΙΤΙΟ conspicitur, & in postica L. SEMPronius cum prora navis, cujus rei Oedipus omnibus gratus erit.

Nummus Gentis THORIÆ in Ursini editione litera Q notatus est, asservatur integrum in his nummis alphabetum in Thesauro Schwartzburgico. Patinus quidem in Thesauro suo p. 42. idem jam observavit, sed in eo errat, quando putat, in hujus Gentis nummis etiam muscas,

ſcas, cancros, aratrum, ſtellas, clavam & ſimilia inveniri: talium vero notarum diverſitas prope infinita eſt, ratione figurarum, literarum, & numerorum, in quamplurimis aliarum Familiarum nummis, ita, ut in admirationem trahere poſſint, ſed in quem finem illarum uſus inſtitutus fuerit, ejus rationem nondum aſſequi licuit. Interim nihil aliud excogitare poſſum, quam per tales notas, monetarios in officinis diſtinctos, & ad explorandam cujuſque fidem ac induſtriam eas adhibitas fuiſſe.

Uberrimus Goltzius in Faſtis Conſularibus nummum edidit EMPORio cuſum, quem C. Aurelio Cottæ aſſignat, & citat Pighius Tom. II. pag. 56. uterque multa de Emporiis refert, ſed huic Epiſtolæ non inſerenda; ab illis tamen didici, in Emporiorum nummis Familias & nomina Romanorum contineri, quapropter illos quoque

delineavi, & in rei veritatis testimonium unicum afferam, in cujus una parte caput Romæ galeatum se offert, cum hisce literis: L. M. RF P. C. Q. ab altera EMPOR. cum Pegaso decurrente. Rufus cognomen est Mesciniorum & Minuciorum, hinc credebam, hunc nummum pertinere ad Minucium, qui ab Appiano inter Imperatores in Hispaniam missos numeratur, cujusque successor Cato, cum Emporium pervenisset, hostibus circumventus, eosdem vicit. Quia autem huic Minucio a Livio semper Quinti prænomen tribuitur, ad Mescinios me contuli, credoque, hunc nummum referendum esse ad L. Mescinium Rufum, qui Ciceronis in Cypro Quæstor fuit, ergo in nummo forsan legendum L. Mescinius Rufus Procos. Cypri Quæstor. Si cui tamen hæc lectio non placeat, meliorem afferat, ut gratiarum actiones mereatur.

In-

Ingenue fateor, aquam mihi hærere in interpretatione trium nummorum CORDIÆ, triumque priorum EGNATIÆ Familiarum; hinc votum meum eo redit, ut aliunde illa mihi affundatur. Atque ad hos dum devenio, subnectam paucas adhuc quæstiunculas, resolutionem illarum expectaturus. Sunt, qui dubitant, an figura in secundo CANINIORUM nummo de Prætorio tabernaculo interpretanda, & ad oppidi alicujus oppugnationem referenda sit. CLOVIORUM Pallas forsan Venus est, quam Cæsar annulo insculptam gestavit, eaque tessera in rebus summis usus est. Monstrum marinum, quod Tab. V. n. 6. CORNELIAE Familiæ in nummis sub equis visitur, idem est, quod in secundo nummo Gentis Plætoriæ & sexto Valeriæ. Speciem quidem Nereidos illud præ se fert, num vero sit, pro certo affirmare non habeo; nec, an in a-

versa

versa parte nummi HERENNIAE exhibeatur Æneas Anchisem ferens, an unus ex fratribus Catanensibus. Neque desunt, qui binis oculis nolunt agnoscere Coclitem, & concedere, eum ad Gentem Horatiam pertinere, dicendo, Horatiam illam veterem Familiam hoc cognomine insignem, jam extinctam fuisse illo tempore, quo nummus cusus videtur. Inquirendum ergo esset ulterius, an alii Familiæ tribuendus. Quid septimus LICINIORVM nummus sibi velit, cum primis scire desidero. Nam figura muliebris equum ducens galeata est, habetque ad pedes modium; vix ergo ad Censorem referri poterit, prout Viri peritissimi jam scripserunt. Monogramma , quod nummis PROCULEIAE Familiæ adjectum est, forsan ad ipsam Gentem pertinet, quæritur tamen, an non inde conjicere liceret, hosce nummos KOP-

KY-

ΚΥΡΑΙΩΝ esse, vel Corcyræ fuisse cusos, ut & apud Oscenses secundum Gentis QUINCTILIAE ex collatione Tabulæ II. n. 4. nummi Gentis Domitiæ.

Essent adhuc plura, quæ afferri a me possent, ac in ulteriorem disquisitionem proponi, sed ad finem properans pauca saltem adhuc addam de nummis quibusdam insolitis, quorum tamen cognitionem plurimi, licet parum proficuam, desiderant. Primo occurrunt quandoque nummi, qui ab utraque parte genuini sunt, sed per errorem monetariorum duobus typis, vel duabus diversis nummorum matricibus, ut Galli vocant, aliquando adhibitis, ex illarum conjunctione unus est conflatus, duas diversas Familias falso indicans, ex. gr. in Ursini prima editione pag. 98. caput Gentis Considiæ jungitur aversæ parti Gentis Flaminiæ, atque hanc ob causam Patinus hunc num-

mum,

mum, ut ſuſpectum, omiſit, quamvis poſtea in Theſauro ſuo Numiſmatum aliquot horum exempla ediderit: ſic & in Goltzio, alibique plura occurrunt, ac in Theſauro Schwartzburgico inſignis eſt nummus cum averſa parte M. Antonii, conjuncta cum poſtica parte Gentis Pompejæ, quo haud obſcure ſimul probari poteſt, nummos Pompejanos cuſos fuiſſe illo tempore, quo pax ſimulata inter Sextum Pompejum & Triumviros ſancita fuit. Interim ejuſmodi nummi non alia continent myſteria, præter errores monetariorum, qui in nummis Conſularibus frequenter accidere potuerunt. Nam infinitus prope numerus nummorum incuſorum, & quidem per omnes Familias, nihil aliud niſi crebriorem typorum ſive matricum tunc temporis mutationem arguit.

Quoad nummos ſubæratos, hi omnes a falſariis cuſi ſunt, & inter-

terdum eodem errore monetali, de quo jamjam mentio facta est; in plurimis vero falsitatem ipsorum produnt variatæ in iis figuræ, omissæ literæ, & hujus generis signa alia: multi tamen tanta arte effícti sunt, ut a peritis genuini æstimarentur, si pondere leviores non essent & cuprum detrita lamina argentea, hinc & inde conspicuum, fraudem non detegeret. Hujus generis elegantem nummum subæratum, & quidem primum Gentis Lolliæ possidet Clarissimus Thomasius, Norimbergæ, in quo pro PALIKANUS distincte PALIANUS, & a parte capitis LIBERTAT.S tantum legitur, quæ testantur, nummum confictum esse a falsario Barbaro, & linguæ latinæ imperito, hujusque sortis fuit quintus nummus Gentis TERENTIÆ in Ursino.

Pergo ad nummos, qui a Barbaris sive authoritate publica, sive

a

a falsariis cusi sunt: horum quidam tam misere efficti sunt, ut vix litera legi possit: in aliis literæ retrogadæ sunt, & figuræ tam inconditæ, malaque imitatione expressæ, ut vix dignoscantur. Nam Barbaræ Gentes, Græcorum & Romanorum velut simiæ, nummos illorum imitati sunt, cujus insigne exemplum occurrit inter selecta Numismata ditissimi Thesauri Wildiani Tab. XI. Hic nummus ab una parte ad imitationem Nummi FUFIAE & MUCIAE Gentium percussus ostendit capita Honoris & Virtutis, & in aversa parte equitem, solitum Gothorum in Hispania symbolum monetale, cum hac inscriptione: BIATE: quapropter R. P. Harduinus hunc nummum ad Peloponnesum retulit, & eundem in BIA, Messeniæ amni, abluere conatus est; sed rectius peritissimus ac doctissimus Begerus in BIATIA, Hispaniæ urbe, cusum fuisse

fuisse docuit. Quamvis autem omnes hi nummi inter Consulares vix mereantur sculpturam, nihilominus tamen quamplurimi in futuro prodibunt opere, saltem ut imperitioribus innotescant, & quid de iis sentiendum sit, discant.

Sed ne pagellæ hæ Epistolæ modum excedant, earundemque lectione Amicis molestus fiam, filum hic abrumpere cogor, sub finem eo, quo par est, modo rogans omnes, ut, si ad quæsita benevole respondere, aut doctis suis observationibus me instruere velint, id faciant, missis vel ad me Arnstadiam vel Erfordiam ad Postarum, ut vocant, Præfectum literis, & si Eruditorum quis de nummis Consularibus me hærentem amice docere dignetur, nomen ejus non reticebitur: nam insigni discendi desiderio flagro, omnisque φιλαυτία semper a me absfuit, nihil in hoc Rei nummariæ studio, quam re-

crea-

creationem animi & Historiæ notitiam quærens. Numismata autem nihil sunt, præter rudera priscæ vanitatis, quæ, si per omnia intelligerem, nec major nec melior essem, sed si inde superbirem, circulus meus amplificaretur in sphæra stultitiæ cum periculo tituli auricularis societatis Bileamicæ.

Hisce nunc vale, omni modo colende Perizoni, & de votis amoris & observantiæ meæ erga Te, omnesque ac singulos certus, per omnia Felix Faustusque vive. Dabam Arnstadiæ, Calendis Septembr. A. MDCCI.

EPI-

EPISTOLA
JAC. PERIZONII
DE
NUMMIS
CONSULARIBUS

Cum variis Novarum Animadversionum Accessionibus unco utrimque inclusis.

VIRO CLARISSIMO

ANDREAE MORELLIO

S. P. D.

JAC. PERIZONIUS.

Quod serius, quam par erat, litteris tuis, amantissime simul & honorifice ad me scriptis, atque in publicum editis, respondeo, & quas

quas debebam gratias tibi pro iis ago, accidit potiſſimum ex eo, quod exemplaria, quæ exeunte Septembri ſuperioris anni ad me dederas, noviſſimo demum Februario, neſcio cujus culpa, accepi. Unicum autem illud exemplar, quod jam antea miſeras, quia juſſeras, ut de his rebus agerem cum Illuſtriſſ. Ez. Spanhemio, Hagam ad eum miſi, paullo ante quam in Britanniam proficiſceretur, poſtquam bis ipſe Hagam excucurriſſem, ſed Virum Excellentiſſ. domi non offendiſſem. Rogas autem, an Ant. Auguſtini librum de Familiis Romanis emendandum & augendum velim ſuſcipere, ſed vix tantum mihi eſt ab aliis rebus otii, ut id auſim polliceri, licet ex ſchedis meis haud difficulter præſtare id forſan poſſem. Cæterum miniatulas meas ad epiſtolam tuam ſubita & tumultuaria opera aſperſas, quia deſideras, lubens tecum communicare volui.

Abn-

Aburiorum gentem non ab *aburendo* dictam, ut voluit Pighius, verum ab antiquo vocabulo vel nomine, unde & *Gens Abidia* est formata, persuasum habeo. Sic ejusdem est originis gens *Tituria* & *Titidia* a *Tito*. Ad alterutram quoque, vel *Aburiam*, vel *Abidiam*, retulerim *Abudium Rusonem*, apud Tacitum Ann. VI. 30. si leviter in eo nomine corruptum statuamus.

[Sed crediderim nunc potius, promiscue dixisse Veteres *Abidius* & *Abudius*, ut solent I & V in his permutari. Certe & *Q. Abudium Theodotum* reperimus apud Raph. Fabrettum. De Cognomine Mulieris, quod erat *Genesis*, monui Cl. Morellium, Cognomina viliorum inprimis hominum, quæ reperiuntur in Inscriptionibus, post Augusti ætatem factis, ad antiquas & nobiles familias neutiquam esse referenda, partim quia jam sub primis Cæsaribus omnis fere Vetus Nobilitas penitus

fuit exſtincta, partim quia poſt Auguſtea tempora Cognomina in Familiis majorem in modum variare cœperunt, & ſingulorum maxime Hominum evaſerunt propria, adeo, ut etiam germani Fratres diverſis ideo cognominibus plerumque fuerint diſtincti. Diverſam ergo fuiſſe rationem Cognominum, & aliam in Libera Rep. quando fuerunt in ſingulis familiis pauca, eaque conſtantia ferme & hereditaria, dum tranſibant a Patre ad omnes plerumque Filios & Nepotes; aliam in tempore Cæſarum, quando in iiſdem familiis reperiuntur quamplurima & diverſiſſima, ac ſingulis infantibus imponebantur, magis tunc propria iis, quam Prænomina, quæ ceteroquin olim ab natura ſua fuerant vel maxime ſingulorum Hominum propria. Sed & frequens fuit ſecundo, ac deinceps, Cæſarum ſæculo, dare etiam Feminis cognomina undiquaque ſumpta, & quidvis ſignificantia.

Nam

Nam ut hæc *Aburia*, *Genesis* Græco vocabulo apud Gruterum cognominatur, sic apud Eundem inter Cognomina Feminarum reperimus *Homonoea*, *Eutychia*, *Tyche*, *Zoe*, *Hedone*, *Hygia* &c. Similiter apud Sulpicium Severum lib. II. Hist. Sacræ inter eos, *a quibus institutus fuerit Priscillianus*, memoratur etiam *Agape quadam, nobilis mulier*. Sed innumera ejus generis cognomina, Latina æque ac Græca, non modo in Lapidibus, sed & Scriptoribus, qui Cæsarum tempore vixerunt, occurrunt. Ut adeo ex his omnibus liqueat, nihil hoc cognomen *Genesis* pertinere ad antiquæ Aburiorum familiæ Cognomen *Geminus*. Sed & turpem notavi in priore mea ad Morellium Epistola Errorem Patini, qui ex eo, quod apud Livium memoratur *M. Aburius Tribunus pl.* & dein anno XI. post *Prætor*, facit duas Aburiorum familias, Patriciam & Ple-

bejam, quasi Prætores nulli unquam exstitissent nisi Patricii, quum jam apud Livium VIII. 15. Præturam reperiamus, æque ac Consulatum, cum Plebejis communicatam. Nec tamen propterea affirmare velim cum Morellio, *differentiam inter Patricios & Plebejos non fuisse in Nobilitate* sitam, sed tantum *in jure gerendi quosdam Magistratus*. Nam re vera Nobilitate ipsa distinguebantur vel maxime. Fuerunt quidem etiam inter Plebejos Nobilissimi, ut *Metelli*, *Marcelli*, *Crassi*, &c. sed eorum Nobilitas non exsurgebat supra id tempus, quo primum in Senatum & ad Consulatum admissi sunt Plebeji: at Patricii erant, qui ex antiquissimis Familiis, ex quibus solis olim legebantur Senatores, & creabantur Consules, originem trahebant.]

De Nummis *Paulli Lepidi* necdum aliter existimare possum, quam nuper feci & scripsi. Certum etenim,

enim, hos nummos exhibere ſimul monumenta Gentium, *Æmiliæ* & *Scriboniæ*. Harum vero Gentium conjunctio quædam reperitur jam quidem in liberæ Reip. ultimis temporibus, ſiquidem apud Dionem Caſſium Lib. XL. p. 150. L. Paulus Conſul, pater Pauli Lepidi Cenſoris, dicitur *συγγενὴς*, *cognatus*, Scribonii Curionis. Verum præcipua, & cum *Libonibus* quidem Scriboniis, quorum monumentum & mentio in iſtis exprimitur nummis, facta eſt per matrimonium Paulli Lepidi cum Cornelia Scriboniæ Filia, quæ Scribonia Filia porro fuit L. Libonis, Uxor Auguſti, Mater denique unicæ Auguſti Filiæ, ex qua omnis dein Cæſarum progenies. Ea vero conjunctio ab Æmiliis potiſſimum hic oſtentatur, quippe quæ ipſis glorioſa tum ſane erat, & per quam Paullus Lepidus ipſe Socrum habebat illam Auguſti quondam Uxorem Scribo-

 niam,

niam, atque Filii ejus consobrini erant C. & L. Cæsarum, unde & alter eorum ex duabus Augusti Neptibus alteram accepit Uxorem, sicut alteram, Agrippinam, Germanicus. Hinc jam apud Propertium lib. IV. eleg. ult. inducitur Cornelia, Paulli Lepidi uxor, mortua, de matre Scribonia ac Augusto sic loquens,

Nec te, dulce caput, Mater Scribonia, læsi,
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrymis, urbisque querelis,
Defensa & gemitu Cæsaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat, & lacrymas vidimus ire Deo.

Cum quibus conferri jam velim, quæ apud Tacitum Ann. II. 27. etiam sub Tiberio ad Libonem Drusum, hinc in luxuriam impellendum, commemorantur a perfido

do ejus sodali, qui *Amitam Scriboniam, quæ quondam Augusti conjux fuerat, consobrinos Cæsares, illi ostentabat.* Sine dubio igitur cusi sunt hi nummi, si non a *Paulli Lepidi* filiis, *Paullo* & *Lepido*, tum certe ab ipso Patre, Scriboniæ genero, primis ferme Augusti temporibus, vel Triumvirorum ultimis, sub Antonio & Augusto, quos forsan respicit *Concordia*, ut certe facit in Num. 3. Tab. 11. Antoniæ Gentis. Sed & alia possit esse causa *Concordiæ*, etiam in aliis Pauli Lepidi nummis expressæ; quæ nobis nunc latet, sicuti haud semper scimus, quæ causa moverit singulos, quare hunc aut illum Deum suis in Nummis exhibuerint. Quapropter incassum mihi objicitur, quod ultimis Augusti temporibus nulli cusi fuerint Nummi, nisi cum effigie ejus, aut qualicumque nota. Nam ex mea hac sententia opus non esset, referri hos nummos ad extrema plane Augusti tem-

pora. Sed tamen haud probabile etiam est, ut, quæ moribus tantum & adulatione invalescunt, nullisdum legibus sancita, ut illa, inquam, ita statim obtineant in universum, utque ideo neque tam Nobilis Familiæ homines, & ipsi Augusto conjuncti, ausi fuerint more solito suarum quoque gentium decora in Nummis ab se cudendis exprimere. Notum est insuper, quantæ civilitatis in eo genere fuerit Augustus; quippe qui non tantum præcipuos Senatorum excitaverit ipse ad monumenta sui Nominis in Urbe, vel Nova exstruenda, vel Vetera suæ familiæ reficienda, sed & opera cujusque Illustrium Romanæ Urbis Virorum antiqua, *manentibus titulis*, *restituerit*, teste Suetonio cap. 29. & 31. Adde quod Patinus eundem Paulli Lepidi nummum exhibet cum clypeo *Clementia* ex S. C. in aversa, quæ prorsus videtur ad commendandam Triumvirorum, vel

unius potius Augusti, jam rerum potentis, clementiam pertinere.

[Sed vel maxime istam Morellii sententiam refutat Nummus 7. ejusdem apud Ursinum Tabulæ, in quo *M. Lepidus Aimiliam Refectam* ab se *ex SC.* gloriatur. Cum hoc autem conferendus est omnino Tacitus ab Ursino jam laudatus, qui Ann. III. 72. scribit, *Iisdem diebus Lepidus a Senatu petivit, ut Basilicam Pauli, Æmilia monumenta, propria pecunia firmaret ornaretque. Erat etiam in more publica munificentia: nec Augustus arguerat Taurum &c. quo tum exemplo Lepidus, quanquam pecuniæ modicus, Avitum decus recoluit.* Etenim habemus & hic, æque ac in Nummo, *Basilicam Æmiliam Pauli* a *Lepido* ex SC. refectam, seu *firmatam ornatamque:* ut adeo quin utrobique res eadem, ejusdem Hominis, & Temporis, designetur, nullum possit esse dubium. Jam vero ex Tacito li-

quet rem gestam sub Tiberio, & anno ejus Octavo demum, quando is Augustum adhucdum imitari volebat; atque adeo M. hunc Lepidum puto esse illum, qui Consul fuit nono ante Tiberii Principatum anno. Ille autem Filius fuit Pauli Lepidi, Nepos L. Pauli, qui Basilicam hanc exstruxit. Hinc ergo Tacitus Lepidum ait *recoluisse AVITVM Decus*. h. e. Avi sui, L. Pauli, monumentum. Conflagraverat hæc Basilica sub Augusto, & refecta utcunque postea ab Æmilio Paulo, sed qui pecunia adjutus fuerit ab Augusto & ab Amicis suis, teste Dione lib. LIV. p. 538. Hunc Paulum Ego crediderim fuisse L. Paulum, Progenerum Augusti, & ejus in Consulatu XIV. Collegam, Filium Pauli Lepidi, & hujus M. Lepidi fratrem majorem natu. Sed quum ille dein offendisset Augustum, videtur hoc opus relictum imperfectum, ac dein a M. Lepido ejus Fratre

fir-

firmatum proprie *ornatumque*. Jam si res gesta sub Tiberio, tum vero etiam Nummus hic sub Tiberio demum est cusus, in quo quum nusquam appareat *effigies* Imperatoris, nec ulla certa, quæ *Eum designet Nota*, satis ex eo liquet, quid tribuendum sit hisce asseverationibus Cl. Morellii, jam *ultimis Augusti temporibus non alios quam cum ejus Effigie, aut certa Nota* Nummos fuisse cusos, nullos qui hac in parte *veteris Reip. formam saperent*. Immo vero concessum fuit etiam sub Tiberio, ut diserte Tacitus d. l. nos docet, Nobilissimis præsertim Hominibus *exundantes opes vel hostiles exuvias ornatum ad Urbis & posterorum gloriam conferre*, nedum *avita* suæ Gentis monumenta *reficere*. Hinc porro liquet, quod modo dixi, non ita statim sub primis plane Cæsaribus Eorum majestatem, superstite adhuc magnam partem veteri Nobilitate, elatam fuisse supra Nobilissi-

mos & Patricios Senatores eo usque, ut ideo his non amplius licuerit *decora* Gentis suæ *recolere*, ejusque rei memoriam etiam per nummos ad posteritatem propagare. Ita vero nihil etiam obstat, quo minus & superiores nummos referamus ad ultima fere Augusti tempora, sive ad Paulum & Lepidum Fratres, Filios Censoris Pauli Lepidi, Nepotes Scriboniæ, Consobrinos C. & L. Cæsarum, qui ad testandam seu optandam, vel suam inter Se, quum antea celebris inter L. Paulum & M. Lepidum III. Virum, Fratres itidem, fuisset inimicitia, vel Gentium Æmiliæ & Scriboniæ, unde ipsi erant orti, Concordiam, Hujus Deæ effigiem & Nomen ac utriusque Gentis monumenta, suis in Nummis simul expresserint. Ceterum valde hic miror Vallantium, oblectantem se pristinis glandibus, & commemorantem nobis ad Numm. hujus Familiæ X. & XXXVIII. ex Ursino,

ſino, Auguſtino, aliiſque, *Paulum Lepidum III. Viri Fratrem*, quum nullus fuerit III. Viri Frater, niſi L. Paulus, Conſul ultimis plane Reip. annis, Paulus autem Lepidus fuerit, iſtius L. Pauli F. Quod quum clariſſime ſit probatum jamdudum, debuiſſet ille id vel ſequi vel refutare, priuſquam nobis eandem ſimpliciter reponeret cantilenam ſine ullo rei documento vel minimo.]

In altero gentis *Æmiliæ* nummo non ſufficere cenſeo ad probandum Tertium *L. Paulli* triumphum, quod tropæum ille habet expreſſum cum vocula *TER.*, quum Tertium hunc triumphum diſerte ſatis negent Faſti Triumphales, præcipuæ in hoc genere Auctoritatis, ac Plutarchus, qui Paulli vitam memoriæ prodidit, & ejus laudes undique conquiſivit, nec quiſquam alius illum triumphum memoret, niſi Vellejus, & Inſcriptio, quam

Ursinus ostentat: cumque Tropæum (vide quæ ex Servio attuli Animadverss. Histor. pag. 214.) vere non tam sit Triumphi, quam Victoriæ, signum, sive eam secutus sit Triumphus, seu minus, certe æque denotet etiam in Nummis Victoriam sine Triumpho, quam Victoriam cum Triumpho. Res constat satis vel ex solis Syllæ & Pompeji Annulis, in quibus æque expressa fuerunt *tria tropæa*, teste Dione lib. XLII. pag. 193. sed quæ in annulo Pompeji notabant tres Victorias, de quibus ille etiam triumphavit, at in Syllæ annulo tres Victorias, sine triumpho plerasque, si quidem is semel tantum triumphavit. Neque aliter in Nummis Syllæ, in quibus *Imp. iterum*, h. e. *iterum victor*, dicitur, duo repeciuntur Tropæa, Victoriæ tantum istic, non triumphi, signa. Ita ergo cum tres Paulli victorias memorent Livius, Plutarchus, atque alii,

alii, ſed duos tantum triumphos illi ipſi, quid tandem certi habemus ad tres omnino triumphos affirmandos ex Nummis, in quibus Paulus *ter* dicitur tropæum erexiſſe?

[Neque enim quæritur, utrum Triumphus Tropæo in Nummis deſignari quoque potuerit, aut deſignatus aliquando fuerit; ſed an hoc Tropæi ſigno Triumphus omnino deſignatus ſemper fuerit, non autem Victoria quoque ſine Triumpho deſignari potuerit, & deſignata ſæpe fuerit; quod quum certiſſimis exemplis ex annulis & Nummis probatum Animadv. Hiſtor. cap. VI. dederimus, manifeſtum inde, quam parum idonei argumenti ex his Nummis elici queat ad controverſum hunc Tertium Pauli Triumphum inde probandum. Æmilii quid animi in cudendis his Nummis habuerint, non affirmaverim: crediderim tamen;

Eos

Eos habuisse rationes suas, cur ambiguo hoc Tropæi signo rem in medio tunc reliquerint, satisque habuerint, Tres L. Pauli, sive Victorias tantum insignes, sive etiam Triumphos, istoc modo declarare.]

De Nummo *Niciæ*, quem perperam retulit ad gentem *Æmiliam* Patinus, ut ex te didici, vellem disertius paulo meæ ad te Epistolæ verba aut sensum expressisses. Ita enim concepta & ordinata sunt tua, ut videar, certe videri possim, ego locum Ciceronis ad Atticum, in quo *Nicias* quidam *Cous* memoretur, protulisse, & ad illum istius Nummi *Niciam* retulisse, sed quibus Tu jam reponas, fuisse illum hominem Grammaticum, & ad hos Nummos non pertinere; cum prorsus contrario modo se res habeat, & Tyrannum hunc ex Strabone, Goltzii nummis, ac meis ad Ælianum notis in medium protraxerim.

[Quæ

[Quæ Vir Optimus in ſpecimine ſuo pag. 236. 237. ad Æmiliæ Gentis Nummum Tertium Tabulæ III. apud Urſinum, notavit, fateor lubens mihi non probari. Interpretatur Eum, ab L. Buca cuſum, de ſomnio quodam Sullæ, quod Plutarchus retulerit. Et ſequitur hanc interpretationem Vallantius, nec tamen Morellium, qui jam multis annis ante ſe in iſto Specimine eam vulgaverat, in ea repetenda nominat. At mihi ratio diſſentiendi fuit, quod L. Æmilium Bucam non reperimus in Nummis, niſi tempore Cæſaris Dictatoris, ſub quo ille IIII Vir Monetalis fuit. Jam ſub Cæſare, maximo Sullæ inimico, minime videtur probabile, hunc Hominem, qui ceteroqui Cæſaris ipſius titulos & decora in Nummis exprimit, voluiſſe glorioſum quoddam Sullæ ſomnium per publicos Nummos ad memoriam poſteritatis propagare. Sed ait Vir Doctus, in-

incertum esse, utrum hic L. Buca idem sit, qui ille Cæsarianus. At manet probabile, Eundem esse, quamdiu non reperitur ac ostenditur alius Monetalis ejusdem plane nominis. Deinde vero nullum prorsus Sullæ vestigium præfert hic Nummus, nisi quod ex incerta hac interpretatione oritur, quæ aliquanto speciosior foret, si ullo pateret indicio, hunc Nummum ad Sullam pertinere. Denique haud satis congruit hic Nummus narrato apud Plutarchum Sullæ somnio. Nam debuisset ex eo, *fulmen* tradi dormienti, quo inimicos obtereret, quod tamen nusquam hic conspicitur. Fateor tamen, me certius aut speciosius nihil habere, quum nulla nos inscriptio Nummi adjuvet. Patinus refert eum ad Anchisen, cum quo concubuit Venus. Sed quum Morellius, & Vallantius in Nummo exhibeant non Venerem, sed Deam Lunam, ac dein Victo-

ctoriam cum palma, non video qua ratione hæc ad illum referri possint. Crediderim potius, Cæsarem ipsum hic exhiberi, æque ac olim Pictores Timotheum Athenis pinxerunt, dormientem, cui Dea, Noctis Præses, Victoriam submiserit, & in perpetuum dederit, ut ita continuæ Cæsaris Victoriæ isthoc emblemate denotentur.

Nummum sequentem, inscriptum L. H. TVB. Patinus edidit primus, & quia non intelligebat, magno errore legit *G. Helius Tubero*, atque ita retulit ad Gentem *Heliam*, quæ nulla fuit, nisi quod in corruptissimis Codicum exemplaribus & Editionibus sæpe *Helius* occurrat positum pro *Ælius*, quæ familia est notissima & Tuberonis cognomen habuit. At hoc agnitum est jam dudum ab omnibus Eruditis, & in melioribus edd. emendatum. Ostendi ergo multis rationibus ex Historia & solitis antiquissimorum Num-

Nummorum titulis, pertinere Eum ad Gentem Hostiliam, cui *Tubulus* fuit cognomen. Vide me hæc pluribus demonstrantem in Dissertationum Triade pag. 222. Res enim est satis certa. Arripuit ergo hanc expositionem Vallantius, & ad Gentem Hostiliam istum quoque refert Nummum, sed solito suæ elegantiæ more, quasi furtim huic Genti ultimo loco, quum Nummus sit antiquissimus & antiquissimi Hominis, adjicit, & solum sine ulla interpretatione prætermittit, ne scil. Eum, unde didicerat ad istam Gentem illum pertinere, sequi videretur, aut nominare cogeretur. Licet ceteroqui, quando dissentit etiam in rebus levissimis, illam Dissertationum Triada vel Ejus Auctorem nominatim refutare non dedignetur. Quam alienum autem id a genuina & vera sit elegantia, Lectorum judicio lubens permiserim.]

Ad

Ad Nummum *Veturiæ* genti vindicandum recte monui, prænomen *Tiberii*, quod in eo reperitur, in gente *Vettia*, quæ & plebeja prorsus fuit, non fuisse usitatum. Sed ais, *in Nummo ipso T. Vettius legitur*. At non agitur utique de illo Nummo, verum de eo, qui ad *Veturiam* gentem refertur ab Ursino, in quo legitur TI. VET. ubi manifeste TI. est prænomen *Tiberius*, distinctum ab *Tito*, quod una litera T notatur, & in illo gentis Vettiæ Nummo reperitur, nihilque ad hunc Veturii Nummum pertinet.

[Nummum hunc retuli Ego Dissert. Triade p. 223. ad *Ti. Veturium Philonem*, qui Flamen Martialis fuit B. Punico II. ad finem decurrente; at Vallantius ad *Ti. Veturium Gracchum Sempronianum*, Augurem, quem ille nobis etiam Quæstorem Provincialem, sed ex Pighii commentis, obtrudit. At vocatur

catur ille Augur apud Livium XLI. 21. non *Tiberius*, sed *Titus*, eumque non *Calvini* cognomen antea, quod ei tribuit Vallantius, sed *Crassi*, habuisse putem. Certe reperimus aliquid prorsus insoliti in ejus appellatione, ut adoptatus ex gente Sempronia in Veturiam, non acceperit Hujus, sed retinuerit Pristinæ, Gentis cognomen, secus quam fieri solebat. Nam, ut alios taceam, L. Æmilii Pauli Filii adoptati, alter a Scipione, alter a Fabio Maximo, neutiquam retinuerunt *Pauli* cognomen, sed adoptivi Patris acceperunt uterque, ac tantum ex pristina Gente *Æmiliani* dicebantur, ut Hic *Sempronianus*. Quocirca crediderim, Librarios, quum notissimum illis esset *Gracchi* cognomen, & apud Livium legerent in *Sempronii Gracchi* locum Hunc *Sempronianum Veturium* suffectum, ideo pro *Crasso* usitato Veturiorum tunc cognomine, temere re-

repetiisse cognomen Semproniorum *Gracchus*. Sed & nihil de illo Augure legimus, quod ad Nummi hujus figuras referri possit, si maxime istic porca conspiciatur in sinu Fetialis. De quo ipso tamen valde dubitem, quum certe Fetialis seu Pater patratus non solitus fuerit procumbens in genua porcam sinu gestare, & aliis confodiendam præbere, sed stans jurejurando sancire fœdus, & dein porcam saxo silice percutere. Quid ergo? Putem etiamdum Nummum a Ti. Vet. Philone cusum, qui in eo expresserit peculiare factum L. Veturii Philonis, Patris forsan sui, vel Fratris natu majoris, certe Viri Illustris, Consularis, & Dictatorii, qui suo tempore caput fuit istius familiæ. Ille vero multa fortiter gessit, & eo nomine laudatur. Vide Livium XXVIII. 9. Crediderim itaque, exhiberi in Nummo Hostem supplicem genu flexo, sed qui, haud dubie, quod male meritus esset de Ro-

Romanis, confodiatur ab eo, quem palam istic respicit quasi deprecans, L. Veturio Philone, favente, ut videtur, Marte, qui cum hasta adstat. Ceterum Gentes *Vettia*, *Vettidia*, *Vetilia*, & *Veturia*, non a *Vecte*, ut jlocaliter autumat de *Vettia* Vallantius, sed antiquo Nomine *Vettus* vel *Vetus*, suam appellationem acceperunt. Pleraque enim Gentium nomina, paucis exceptis, ab antiquis Nominibus seu Prænominibus sunt formata.

In Nummo *M. Arrii Secundi* cujus aut quale appareat Caput, definire non ausim. Nec tamen Cl. Morellii sententiæ de Eo accedere possim, quippe quæ multa continet prorsus ab re & tempore, de quo agit, aliena. Ait cusum hunc Nummum *statim post necem Cæsaris, antequam vera Augusti effigies Romæ esset nota, præsertim Sculptoribus: Hinc nomen Cæsaris seu Augusti non adjectum* &c. At Nomen *Augusti* ad-

adjici nequaquam tunc potuit: quippe quod nondum excogitatum tunc erat, aut illi datum. Sed & vera ejus effigies non poterat Romæ esse ignota, ubi ætatem egerat; quin, si maxime Sculptoribus quibusdam fuisset ignota, Arrius certe, qui honorare Eum tali modo voluisse creditur, non ignoravisset eam, atque adeo rectius exprimi curasset. Neque vero adolescentulo, nondum XX annos nato, barba fuisset data ab Arrio. Sed præterea neque ausus ille fuisset, si maxime voluisset, effigiem Adolescentis publicis in Nummis tunc exprimere, neque permisisset id, quum Senatus, in quo tunc prævalebant Pompejani & Optimates, qui restitutam volebant pristinam Remp. ac hunc Adolescentem, unicum Cæsaris per adoptionem Filium, invisum & suspectum habebant; tum neque ipse Cæsarianorum Princeps, M. Antonius, qui Eum, ut æmulum suæ potentiæ,

ſi emergeret, futurum, omni modo volebat depreſſum. Si quis tamen omnino Auguſti Caput contendat hic expreſſum, tum certe hic Nummus ad ſeriora illius tempora foret rejiciendus. In altero ejuſdem Arrii Nummo, quem Patinus in Omiſſis adjecit, exhibetur Deæ ſpecie F. P. R. h. e. *Fortuna Populi Romani*. Id quod quum pluribus ſit liquido ſatis probatum (Vide Diſſert. Triada pag. 235. 236. 237.) indulgeamus Vallantio ſuas glandes, qui *Fortitudinem Pop. Rom.* hic nobis ex Urſino repetit, nec tamen ullo probat documento, *Fortitudinem* pro Deâ cultam a Romanis, qui in hunc ſenſum & cultum adhibebant nomen *Virtutis*, ut ibidem eſt declaratum. Ceterum *Arria* Gens non ex Græco ſermone nomen ſuum traxit, ut ineptit idem Vallantius, quaſi denotaret Hominem *ſine Naſo*, ab ῥὶν, ῥινὸς, *Naſus*, vel bellicoſum ab Ἄρης, *Mars*; ſed

ab

ab antiquo Italico nomine, quod fuit *Arrus*, unde Gens *Arria* & *Arellia*, & cognomen *Arulenus*, apud Tacitum & Plinium. Quamplurima enim propria olim singulorum Hominum nomina ac prænomina, quæ derivatum ab se Nomen ipsis dein Gentibus dederunt, non fuerunt Romæ in usu, sed in plerisque tamen Italiæ oppidis manserunt residua. Inde autem formato jam nomine insignes, complures Familiæ, paulo ante Cæsares & sub Cæsaribus Primis, in Civitatem Rom. ex Italia sunt adscitæ.

Porro autem hic *M. Arrius Secundus* Filius forsan fuit Q. Arrii, qui primis Ciceronis annis floruit, & infimo licet loco natus ad honores pervenit. Ille autem dicitur a Cicer. in Bruto cap. 69. *fuisse M. Crassi quasi Secundarum*, scil. partium, quo declaratur, fuisse eum penitus M. Crasso addictum & devotum. Forsan inde Filius quum nullum

haberet, *Secundi* cognomen vel arripuit vel retinuit. Quæ apparent in aversa Nummorum ejus, Honorum sunt insignia propter virtutem bellicam data, Corona scil. & Hasta pura, quibus optime jungitur ab eo Ara castrensis, ut ita significaret, se hæc militaria dona non tam suæ virtuti, quam Deorum favori, præsertim Fortunæ Populi Rom. quasi Deæ, accepta referre, vel simpliciter, Aram hanc positam ad gratias Diis & Fortunæ ob rem bene ab se gestam agendas.

Nummum *C. Flavii* ita edidit Ursinus vel Patinus, ut videatur Caput Feminæ, hirsuta & sparsa coma, præferre, cum apposita cithara, & adscripta voce HEMIS. Quæ vox cum nihili sit, credidi Editorem non animadvertisse transversam lineolam priori parti literæ H impositam, unde oriretur THEMIS; atque adeo exhiberi hic nobis Vatem Carmentam, Matrem Euandri, quæ & *Themis* fuit dicta.

Sed

Sed Vallantius expressit in Eo Caput Apollinis, & literas HEMIC. unde corruere ait meam sententiam. Non ergo obniti ultra conabor, inprimis quum & Morellius eadem fere testetur, cui idcirco respondi, Me ex illo HEMIS vel HEMIC extricare nihil posse, quod ullam habeat veri speciem. Nam quod Vallantius ex illo facit *Hemicyclum*, h. e. sellam semicircularem, id vero est aliquid velle dicere, qualecunque id tandem sit, ne nihil plane dicas, & arripere quamcunque Latinam vocem, quae ab hisce literis incipiat. Quid enim huc facit talis sellae, cujus nullum in Nummo vestigium apparet, Nomen? Crediderim potius cum Morellio, literas hasce declarare cognomen vel novum & ignotum hujus Flavii, undecunque derivatum, vel Apollinis in Macedonia aut Bessorum terris culti.]

Quod ad *Musam* cognomen, ut

incertum est, an ullus unquam Pomponius id habuerit, ita *Antonium* Medicum eo fuisse insignitum, non tantum ex aliis constat Auctoribus, sed vel maxime ex metro Horatiano, ubi ille, non *Musus*, ut ais quasi ex mea Epistola, sed *Musa* vocatur. Verba Horatii sunt Epist. I. 15. 2.

——— *Nam nisi Bajas*
Musa supervacuas Antonius &c.

Certissimum ex eo evadit, *Musam*, non *Musum*, fuisse illius cognomen.

[De Pomponiis, utrum quis Eorum cognomen *Musæ* habuerit, res vere est incertissima, immo parum verisimilis. Nam quum hoc sit nomen novem Dearum, earumque effigies in illis Nummis exprimantur, non magis ergo illud pro Cognomine Pomponii istius necessario accipi debet, quam *Jovis*, *Martis*, aliorumque Deorum nomina, in Nummis sæpe itidem conspicua, & Nomi-

minibus Hominum addita. Sæpe autem in his errarunt Urſinus, Patinus, Schottus, dum pro Cognomine Virorum arripuerunt nomina aliena, ſive Heroum, ſive Aliorum ex priſca Hiſtoria Hominum, ut pluribus oſtendi Diſſert. Triade p. 254. &c. probante id nuper Illuſtri & eximiæ Eruditionis Viro, Phil. a Turre in Monum. Veteris Antii pag. 9. Sæpe tamen etiam ipſis figuris in Nummo expreſſis alluſerunt ad Cognomina ſua, ſed ex rebus vulgaribus potiſſimum ſumpta, illi, qui eum cudi curarunt, quod idem Vir Illuſtris multis declarat exemplis pag. 20. 21. Colligendum ergo ex his, potuiſſe quidem Pomponium quendam *Muſa* habere cognomen, ſed tamen id ex ſolis his Nummis affirmari non debere, quamdiu nulla Veterum Scriptorum auctoritas accedat.]

In gentis *Antoniæ* Nummis 3. & 6. Tabulæ V. *Corvum* conſpici

doces. Illis autem Nummis insignia Auguratus exhibentur, (Augur enim erat Antonius) & *corvus*, cui *Augurium est datum*, ut ait Phædr. Fab. 57. istis insignibus recte ideo additur. Neque tamen pulli gallinacei ab auspiciis sunt alieni, ut est notissimum.

[Si recte agnovit Corvum in his Nummis Morellius, tum vero Vallantius segniter eos inspexit. Nam & ipse Gallum in iis nobis exhibet.]

Octavum Tab. I. gentis *Cassiæ* Nummum ipse habeo, in quo, ut abs te animadversum, clare satis apparet pileus, quem dextra manu ostentat is, qui quadrigis insistit.

[Pileum quoque Vallantius interpretatur, licet in ipso Nummo eandem retinuerit speciem, quam Ursinus vel Patinus expresserant. Nummum ipsum retulerim ad C. Cassium, percussorem Cæsaris, qui Syriam tenuit, & rem ibi feliciter gessit;

gessit; unde & *Imperator* solenniter a militibus fuit dictus. Illius vero in Nummis sæpius LEIBERTAS scribitur & exprimitur. Quocirca verisimile videtur, ostentasse Eum Libertatem in Curru Triumphali, quam, re bene gesta, Romæ esset rediturus.]

Similiter primus *Furiæ* gentis Nummus, quem itidem possideo, exhibet liquido ΓVR, antiqua Scriptura literæ P, non FVR. Cæterum supra currum, inter caput aurigæ & equorum, conspicuum est animalculum, fere rotundum, & multorum pedum.

[Vallantius tamen eodem modo, quo Patinus, nummum hunc edidit.]

Nummum, quem Ursinus ad *Crepusiam* gentem retulit, tu, Vir Celeberrime, *Critoniæ* adscribis: nec male, si notula quædam ex litera T emergens declaret omissam literam I. Accedit, quod *Critonii Æ-*

dilis, ut mones, qui statim post mortem Cæsaris ludos edidit, meminerit Appianus III. B. Civ. cui addo Ciceronem ad Atticum XIII. 21. qui *Critonium* quendam illo ipso tempore nobis memorat. Ceterum neque dissimulabo, quid mihi in mentem dudum venerit de hoc Nummo, in quo, ut editur, exhibentur hæ tantum literæ L. CRT. Credidi ergo, latere in iis nomen *Curtii*, scriptum, ut scribitur in nummis Gentis Curiatiæ, CVRT. Considerandus est diligenter ipse nummus, & simul pensitandum, an videatur cusus eo demum anno, quo Cæsar periit, & quo ille *Critonius* fuit Ædilis pl. Facile ceteroquin auctoritate Appiani inductus in tuam concessero sententiam.

Aufidiæ gentis nummo, quem adfers, similis ferme est is, quem Patinus contulit in Gentem *Aureliam* cum hac inscriptione AV. RV. quem ego nummum in meis notulis

lis retuli ad *T. Annium Rufum*, qui Coſ. fuit A.U.C.622. & quem Faſti Siculi eo cognomine ornant. Fuit & *Annius Rufus* Procurator Judææ, eo anno, quo mortuus eſt Auguſtus. Vid. Joſephum Antiq. Jud. XVIII. 3.

[Nummum *Aufidiæ* Gentis edidit jam Vallantius, ſed qui in averſa exhibet non RVSO, ſed RVS. quod ille exponit *Ruſticus*, quoniam hoc Cognomen in variis Gentibus fuerit uſitatum, & conveniat ſua ſignificatione cum altero Aufidiorum cognomine *Oreſtes*, quod interpretatur ille *Montanus & Agreſtis*. Poſterius hoc longiſſime eſt petitum, & videtur id *Oreſtis* cognomen ex Aureliis, qui eo dudum ante jam erant inſignes, tranſiiſſe ad Aufidios. *Ruſtici* vero cognomen in multis reperitur, ſed fere poſt exortum jam Cæſarum imperium. Vide Reineſium ad Rupertum Epiſt. XXXV. pag. 249. Nul-

li tamen inter eos reperiuntur Aufidii. Quocirca crediderim si maxime tantum RVS in Nummo legitur, interpretandum id, non cum Vallantio, *Rusticus*, quippe quod si intelligeretur, pluribus paulo literis fuisset expressum, ut per spatium Nummi poterat, sed cum Morellio, *Ruso*, quod etiam usitatum fuit cognomen, in novis familiis, non tantum *Abudia* apud Tacitum, apud quem nihil mutari velim, sed etiam *Calvisia* apud Gruterum Inscript. LXIV. 4. ubi *P. Calvisius Ruso Consul* memoratur. Sed & Martial. Epigr. V. 29. *Rusonem* comitate celebrem laudat. Varia autem Aufidiorum fuerunt cognomina, *Orestes*, *Lurco* vel *Lingo*; Sed & reperitur *Aufidius Luscus* apud Horatium Sat. I. 5. *Tucca* & *Namusa* apud Pomponium de Orig. Juris, *Bassus* apud Quinctilianum. Quidni illis ex Nummo hoc addamus *Rusonem*? Ceterum originem No-

Nominis *Aufidii* ab *Aufido* fluvio jam alii repetivere. Vide Rupertum ad Salluſtium Catil. 17. pag. 144. Et ſic *Tarquinii* ab oppido Tarquiniis, *Gabinii* a Gabiis, *Aurunculeii* ab Aurunca, *Pontinii* a Pometia Urbe. Nummum vero, quem Patinus ad Gentem *Aureliam* retulerat, & Ego ad *Anniam*, vidi poſtea ad Hanc etiam a Vallantio transferri, licet neminem *Annium Rufum* repererit, niſi illum ex Joſepho. Sed præter Conſulem in libera Rep. *T. Annium Rufum* jam a me memoratum, habemus & *Anniam Rufillam* apud Tacitum Ann. III. 36. immo & in Nummis Caracallæ Annium Rufum Archontem Sardianorum. Nam errat ſine dubio Sponius, qui ex AN facit, non *Annium*, ſed *Antonium*, Itin. To. 1. p. 445.]

Accoleiam gentem male Urſinus & Ant. Auguſtinus proprie ita dictam putant, quaſi ab *Accolis*, & id-

idcirco in antiquis marmoribus *Acculejus* perperam scribi pro *Accolejus* eodem modo, quo aliquando *Agricula, Publicula*, scribatur pro *Agricola, Publicola*. Imo vero antiquum fuit prænomen *Accus*, unde *Acca Larentia*. Et hinc gens *Accia*, *Acceia*, & ab Acculo *Acculeia*, ut recte scribitur in Lapidibus. Similiter a *Proculo Proculeia*, a *Septimo Septimuleia*. Pro V autem scriptum aliquando O, liquet vel ex hujus ipsius Accoleii cognomine *Lariscolus* pro *Larisculus:* sic *Cloilius* dixerunt olim, pro quo posteriores *Cluilius*. Sic *Flavoleius* apud Livium II. 45. a *Flavulo*. Verum hæc derivatio Ursini est ejusdem plane generis, cujus illa, quod Valerios credidit *Acisculos* dictos pro *Aciscolos*, quasi Acidis fluvii accolas, cum cognomen hoc ab instrumento fabrili sit formatum, ut docuit Illustr. Spanhemius de Præst. Numism. p. 557.

[Et Phil. a Turre in Monum. An-

Antii cap. 2. p. 21. qui & pag. 20. probat Laricis Arboris ramos in hoc nummo G. Accoleiæ exhiberi, in quam converſæ fingantur Phaëtontis ſorores, eoque ipſo alludi ad Cognomen Accoleji *Lariſcolus*.]

Ab eodem prænomine *Accus*, non ab ἀκέομαι, ut volebat Urſinus, & qui eum ſequuntur, Begerus & Vallantius, neque ab *aqua*, ut Pighius Ann. Tom. 2. p. 76. denominata eſt gens *Acilia*. Scilicet geminatarum literarum altera ſemper eliditur, quando per diminutionem proxima ſyllaba evadit longa. Sic a *Metto Metellus*, & gens *Mettia* & *Metilia*, ab *Icco* gens *Iccia* & *Icilia*, a *Pacco Pacilus*, pro quo poſtea dixerunt *Pacillus*, cognomen Furiorum, & gens *Paccia* & *Pacilia*: ab *Atto* vel *Atta* gens *Attia*, ſed pro quo nonnulli ſcripſere *Atia*, tanquam ab *Atys* formato nomine, & *Atilia*. Similia obſervare licet in Gentibus *Arria* & *Arellia*, *Eppia*,

pia, *Eppuleia*, & *Epilia*, *Oppia* & *Opilia*. Sed & in appellativis nominibus: Ita enim a *mamma* descendit *mamilla*, a *bucca*, *bucella*, ab *annulo anellus*, a *socco socellus* apud Isidorum, ab *offa ofella*, de quo videndus Servius ad Virgil. Æn. II. 420. *Ofella* autem cognomen fuit Lucretiorum, & videtur inde formata gens *Ofilia*. Sic ergo & ab *Acco* gens *Accia*, *Acceia*, & Nomen *Accina* in Lapidibus, & diminutum *Acculus* & *Acillus*, vel, ut primitus dixere, *Acilus*, & inde Gens *Acilia*. In ejus autem Gentis nummis conspiciuntur Dii, *Æsculapius*, *Salus*, & *Valetudo*, cujus rei variæ potuerunt fuisse caussæ. Solebant enim in Nummis exprimere Deos potissimum illos, qui colebantur maxime in Regionibus, unde ipsi volebant videri per majores suos orti, quod abunde probavit Illustriss. Spanhemius de Usu & Præstantia Numism. pag. 534. 535. Sic forte

&

& Acilii, cum repeterent originem ſuam ab Troja, vel ab Ænea, ut tradit Herodianus II. 3. & Æſculapius maxime coleretur Pergami, ea de cauſſa Æſculapium, & Deas illi jungi ſolitas, in nummis ſuis expreſſerunt. Originem illam reſpicit etiam Auſonius in Profeſſoribus Burdegal. Carm. 25. de Acilio Glabrione,

Stemmate nobilium deductum nomen avorum
Glabrio Aquilini, Dardana progenies.

Vides Acilios *Dardanam*, h. e. Trojanam, dici *progeniem*. Sed iſtic legendum crediderim *Acilini*, a nomine gentis Aciliæ, cujus erant Glabriones. Solebant enim iſtis temporibus aliter atque aliter formare ſua & liberorum ſuorum nomina propria, ſed maxime in hanc formam, ut & in alteram, IANUS. Sic *Maximianus* & *Maximinus*, *Conſtantinus*, *Conſtantius*, *Conſtans*. Sic apud Grute-

terum *Septimia Septimina* XVII. 9. *M. Aquilius Aquilinus* DCCCLVIII. 5. Ita ergo & ille dictus forsan *Acilius Glabrio Acilinus* vel *Aquilinus*, Q pro C posita. Ceterum Pergamenorum præcipuus fuit Deus Æsculapius, ut vel ex Tacito liquet Ann. III. 63. Sed & hinc in nummis eorum, & maxime illis, quibus ὁμόνοια cum aliis urbibus declaratur, ille potissimum Pergamum, ut alii Dii alias urbes, notat, ut videri potest apud Sponium Itiner. tom. 1. pag. 438. 439. Immo pag. 442. Pergameno in Nummo *Æsculapius* cum baculo, circa quem serpens volvitur, & simul *Hygiea*, sive *Salus*, duos serpentes manu tenens, ferme ut hic, expressi repe-riuntur. Adde Harduinum in Nummis Populorum & Urbium, ubi plura habes ejus rei exempla. Sed tamen potuit etiam iste *Manius Acilius*, qui hos Deos suis in Nummis excudit, ex gravi morbo fuis-

fe,

se liberatus, & ideo eos ita honorasse. Qua certe de caussa in nummis variorum Imperatorum, Caligulæ, Adriani, Ælii Cæsaris, tum Antonini Pii, & Marci Antonini, *Salus*, vel *Æsculapius*, & *Hygiea* cônspiciuntur. Sed & ita valetudinis publicæ caussà voventur a Romanis *Dona Apollini*, *Æsculapio*, & *Saluti*, apud Livium XL. 37. denique & *tabella marmorea cum signo Æsculapii pro salute filiæ* a patre posita habetur apud Gruterum p. 1014.

[Ex corruptis nescio quibus editionibus Vallantius ad Gentem Aciliam refert *Legem Aciliam de Aventino*, memoratam Livii libro III. atque inde colligit & affirmat, *Gentem* Aciliam *fuisse vetustissimam*. At apud Livium (Vide Eum III. 32.) constanter legitur *Icilium*, qui celeberrimus fuit eo tempore Homo, sponsus quippe istius puellæ, quam stupro suo destinabat & addicebat Appius.

pius Xvir, ſed & Dionyſius rem confirmat lib. X. *Acilia* autem Gens vix aſſurgit ultra tempus Belli Punici II. licet deinde ad Trojanos, Æneam & Anchiſen, originem ſuam retulerit, ut oſtendimus ex Herodiano & Auſonio.]

Nummum 5. tab. 1. *Antoniorum* recte, ut auguror, explicas, & ad *C. Antonium*, non IIIViri Fratrem, ut ex profeſſo facit Vallantius, ſed IIIViri Patruum & Ciceronis in conſulatu Collegam, refers, qui *Proconſul* Macedoniæ præfuit, ut notum eſt, & C. *Antonius* M. F. appellatur a Cicerone Ep. familiar. V. 5. Sed cum eo confundis, quod & facit Patinus, C. Antonium Triumviri fratrem, de quo, non de Collega ſuo, ait Cicero in Philippica III. 101. *Semper in ore habuit Macedoniam*, & X. 5. *duorum fratrum (Marci Triumviri & Lucii) ætatibus medius interjectus vitiis cum utroque certabat.* Recte etiam

etiam reliquos ejus Tabulæ Nummos referre te putem ad Rhodiorum Solem, quorum ille proprius & præcipuus fuit Deus, qui ideo in eorum Nummis frequentissime occurrit, qua de re pluribus egi in Dissert. Triade p. 260 261. Ægyptii Numinis, seu Osiridis, quo referunt eos Ursinus & Vallantius, nulla hic vestigia.

Tres primos Tab. II. *Antoniæ* gentis retulerim tecum ad Antonium & Cleopatram, quasi Liberum & Liberam. Sed signum serpentum crediderim esse symbolum Asiæ, ad quam ordinandam & recipiendam profectus fuit Antonius post bellum Philippense; quum eodem modo Augustus eos exhibeat cum inscriptione, *Asia recepta*. Solent autem in Nummis *Receptæ* alicujus aut *victæ* Regionis exprimi ejus Symbola. Adde Nummum Ciceronis tertio hujus tabellæ ferme similem apud Seguinum, & quæ ille istic notat.

[Ter-

[Tertius Nummus, qui pharetram in aversa exhibet serpentibus se erigentibus inclusam cum signis Deorum Jovis & Neptuni, declarare videtur *Armeniam devictam*, quo titulo Nummos cudi curavit Antonius, & Asiam pacatam; siquidem serpentes pharetram cum sagittis mediam quasi retinent & cohibent, ne ad cædes & bella denuo adhibeantur, atque ideo etiam aliorum in Nummis Asiaticis pacem denotare videntur, quibus idcirco caduceus additur. Omnes autem hi Nummi videntur Asiatici ac ipsi eorum cistophori. Vide Vallantium ad Numm. G. Antoniæ 37. &c.]

In tabula IV. *Antoniorum* occurrunt Nummi, de quibus hæsitas. His addiderim primum ejus tabulæ, cujus si tibi copia est, velim consideres, utrum legatur in eo D. TVR. an vero P. TVR. Refertur a Patino ex conjectura ad ignotum plane hominem, D. *Turdum*, qui in hi-

historiis illorum temporum nusquam occurrit. *Turdum Papirium* habemus apud Livium XLI. Sed quod & longe antiquioris est temporis, & unius videtur hominis, non familiæ, cognomen. At vero P. Turullius fuit inter *præfectos & amicos Antonii*, ut liquet ex Dione, lib. 40. p. 448. & Val. Max. I. 1. 19. Fuerat antea Quæstor & præfectus Classis sub Cassio & Bruto. Vide Cicer. Ep. Famil. XII. 13. & Appianum lib. V. B. Civ. ubi tamen male τορῦλος legitur pro τορύλιος. Verum hisce jam victis & cæsis transiit ad Antonium, æque ac Domitius, aliique ex istis partibus.

[Vallantius utrosque Nummos, & illos *C. Fonteji Capitonis*, & illos *M. Oppii Catonis*, edidit dein integre sic scriptos, ut adeo, quum & utriusque Gentis cognomen fuerit *Capito*, nihil vitii in illis Fonteji hærere videatur, quod suspicatur Morellius. Illud vero miror, quod

quod meam de *P. Turullio* conjecturam ad Antonii IIIViri Nummum reperiam quoque apud Vallantium in Familiis Romanis, plusquam anno post scriptam hanc Epistolam editis. Vide Eum ad Nummum LXVIII. Gentis Antoniæ.]

Quæris, Vir Præstantissime, quid *Centauri* in Nummis Gentis *Aurelia*, & Urbis *Aureliopoleos* notent. Quapropter meam tibi conjecturam (nam in his rebus, si usquam, multum est loci conjecturis) lubens exponam. Primo, certum mihi est, *Aureliam* gentem, quæ olim dicta fuit *Auselia*, ut docet nos Festus, & ut solitum fuit olim Romanis literam S mutare in R, sic ergo dictam, non ab Græco ἥλιος, sed ab antiquo nomine Latino *Auso*, vel *Ausus*, unde *Ausones* & *Ausonia*, & *Aurunca* pro *Ausunca*, quod contractum est ex *Ausonica*, & denique gens *Auselia*, quæ postea dicta est *Aurelia*, ut &

Au-

Auria, frequens & nobilis in municipio Larinate. Vide Ciceronem pro Cluentio cap. 5. 7. & 8. Ita vero etiam a *Pompone Pomponius*, *Pompejus*, & *Pompilius*, a *Cæsone*, *Cæsius Cæsonius*, & *Cæsellius*, a *Trebone Trebius*, *Trebonius*, *&* *Trebellius*. Inde ergo *Aurelii*, sive nomen hoc acceperint ab *Ausone* quodam, sive ab ipso populo, aut urbe, sicuti *Aurunculeios* ab *Auruncis*, & Alios ab aliis Italiæ oppidis, denominatos supra jam ostendimus. Jam vero *Ausonum* antiquissimus fuisse dicebatur *Mares* quidam ἱππομιγὴς, priori parte homo, posteriori equus, quod tradit Ælianus Var. Hist. IX. 16. Videntur ergo Aurelii hunc Hominem, sui generis & gentis principem, per Centauros, quibus plane similis fuisse fingitur, in Nummis suis voluisse designare.

[Eorum exemplum secuti postea sunt Aureliopolitæ, quod indicio est, Centauros pertinere ad Aurelios

M in

in universum, non ad hujus aut illius Aurelii peculiare factum, neque ad Pharsalicum prœlium, neque ad Herculem, quod postremum ex conjectura mera voluit Vallantius.]

Bellios dictos postea, qui olim *Duellii*, vel *Duilii* dicebantur, dubitare nos non sinunt Cicero & Quintilianus. Vide Ciaccon. ad Columnam Rostratam Duilii. Incertum tamen, an *Bellius*, qui in Nummis Augusti ita nominatur, ab antiquis illis Duiliis vere sit ortus, aut ipsum nomen suum ex ea antiqua gente traxerit, prout solebant liberti, vel in civitatem R. adsciti.

[Fuit enim & Nomen Hominis, qui Libertus erat Fausti Sullæ, *Bellus*, a quo nomine *Bellium* nomen formatum esse potuit. Vide Ciceronem pro Sulla cap. 19. Sed tamen possit & illud Nomen ex Epitheto esse ortum, ut *Faustus*, *Pulcher*, & similia. Ceterum pro iisdem habent

Viri

Viri Eruditi *Duilios*, *Duellios*, *Bellios*, *Dellios*. Vide Torrentium ad Horat. Od. II. 3. Et sane sic pro *Duis* Græci dicunt *Dis*, Latini *Bis*. Nullus tamen dubito, quin hi *Bellii* & *Dellii* non ab antiquis *Duiliis*, sed ab aliis sint majoribus orti.]

A *Bellia* hac gente sunt *Bellieni* apud Ciceronem in Bruto cap. 47. & Sallustium Jug. cap. 104. P. *Duellium* memorat Cicero pro Plancio cap. 25. *C. Bellium* Plutarchus in Gracchis.

Cornutum Cæcilium habes etiam apud Tacitum Ann. IV. 28. & Gruterum Inscript. 5. paginæ CC. quæ tamen inscriptio mutila est. Sub primis Cæsaribus *Licinium*, apud Eundem, CCXXXI. 3. *Manilium Cornutum*, Prætorium, & Legatum Aquitaniæ, apud Plinium XXVI. 1. *Annæum Cornutum* tempore Neronis, apud Suetonium in Vita Persii. *Sulpicios* primis temporibus liberæ Reipublicæ in Fastis Consularibus.

[*C. Cœlium Caldum* in Hispania memorabile aliquid fecisse, seu Hosti Hispano vexillum eripuisse, ex hoc Nummo crediderim. Certe proximis ante ejus Consulatum annis bella a Romanis in Hispania contra Lusitanos & Celtiberos gesta constat ex Reliquiis Fastorum Triumphalium. Apro declarari puto aliud genus fortitudinis: nimirum occisum ab eo insignem aprum, qua de causa in altero & simili plane ejusdem Cœlii Nummo, quem Begerus edidit in Contin. Thes. Brandenb. p. 549. *Venabulum* conspicitur, tanquam quo Aper iste fuerit ab eo confossus. Nam concesserim istic potius in sententiam Begeri, telum hoc *Venabulum* interpretantis, quam Morellii *Lanceam*. Potuit tamen lancea Hispanica similis fuisse venabulo Romanorum, eamque in Nummo suo expressisse Carisius, ut ait Morellius, & ita allusisse ad occupationem Urbis Lanciæ in His-

Hispania ab se factam. Ceterum diversæ fuerunt Gentes COELIA & CAELIA. Illa ab antiquo Nomine Etrusco, *Cœle*, est derivanda, sicuti ab eodem Nomine, seu a *Cœle Vibenna*, ut a Varrone & Tacito nominatur, etiam Mons *Cœlius* in Urbe est dictus, quem inhabitandum cum suis acceperat ille a Romulo vel Tarquinio Prisco. Eum vero Vibennam Imp. Claudius in Inscr. apud Gruterum pag. 502. appellat *Cœlum Vibennam*: unde emendandum puto Dionysium Halic. lib. II. in Historia Romuli, ubi male editur Καίλιος, pro Κοῖλος, *Cœlus*, a qua demum nominis forma per derivationem Analogicam *Cœlius* & Mons & Familia dicitur. At *Cælia* Gentis Nomen a *Cajo* vel Gajo lubens deduxerim & analogice prorsus. Plane ut *Ælia* ab *Ajo*: Notus enim ex Historiis *Ajus Locutius*; & *Malia* a *Majo*, quo nomine Deus quispiam Tusculanorum appellabatur, teste

 Ma-

Macrobio Saturn. I. 12. At *Celia* gens nulla fuit, ac imperite prorsus in Omissis Eam constituit Patinus ex Nummo parum bene lecto aut intellecto. Sed Eum jam confutavit Fabrettus Inscript. p. 244. Morellius ait se punctum invenisse in Nummo inter CEL. & IVS. Si ita, certissimus is est error Artificis. Sed Vallantius simpliciter edidit L. RVSTICELIVS CORDVS, qui tamen & ipse Genti Cæliæ hunc Nummum subjicit. Et videtur Nummus satis esse obscurus, ut ex Morellii verbis liquet. Crediderim ergo scriptum istic *Rusticellus*, quod, ut & *Rusticus*, usitatum fuit olim cognomen. Eo præditus fuit Orator Bononiensis, quem Cicero laudat in Bruto cap. 46. Sic *Rusticellus Hercules* apud Plinium VII. 20. Fabrettus quidem legit *Rusticelius*, idque confirmat ex variis Lapidibus, in quibus hoc Gentis Nomen occurrit. Ego vero nul-

nullus dubito, fuisse hanc gentem plane plebejam, & serioris ætatis, quam ut ad tempora Augusti, nedum Reip. exsurgat. Nummus autem iste tempore Augusti vel Tiberii videtur cusus. *Cordus* porro variorum fuit Hominum cognomen sub Cæsaribus. Apud Unum Tacitum habemus non modo *Cremutium Cordum*, sed & *Cæsium Cordum* Procos. Cretæ Ann. III. 38. & *Julium Cordum* Hist. I. 76. Quare ergo magis ad Cremutium, quam ad reliquos pertineat hic *Cordus?* Nec enim sub Cæsaribus Cognomina erant familiarum amplius communia, neque ex iis quicquam de Familiis antiquioribus constitui potest. In quo peccant plerique Nummorum editores, qui de antiquis Familiis agentes in eas inserunt ex Lapidibus fere Homines, longe serioris temporis, & alterius plane Familiæ, licet idem utriusque sit Nomen.

In Nummo *P. Dolabella Procos.*

Africæ, literas, quas se vidisse illi inscriptas ait Morellius , C. P. interposito Mercurio nudo, ac dein CASDD. legendas & explicandas putem, *Curaverunt Poni Coloniæ Augustæ Saldes* vel *Sabratæ Decuriones*. In Nomine ipso Coloniæ forsitan erravi, at reliqua hoc modo constituenda, vix dubito. Sunt autem istæ coloniæ in Africa, ubi & Promontorium Mercurii erat, in quo sita Urbs Clupea. Vide Plinium N. H. V. 4.]

Nummus 8. Tabulæ II. in gente *Cassia*, etiam in gente *Livia*, exhibetur ab Ursino, sed perperam, ut puto. Ipse Ursinus, se hunc *L. Livium Salinatorem* ignorare fatetur, cum nullum *Lucium* in gente Livia repererit. Fuit tamen Tribunus plebis L. *Livius* Caudinæ sponsionis reus apud Liv. IX. 8. Et alius Prætor apud Livium XLV. 44. Sed & celebris valde est L. *Oppius Salinator* apud Livium in libris XXXII. XXXV. XXXVI. XXXVII.

XXXVII. qui cum ſuperiori anno ædilis plebis fuiſſet, ex SC. præfectus eſt Claſſi cum imperio ad tuendam Siciliæ oram, Liv. XXXV. 23. Dein Prætor Sardiniam ſortitus eſt, XXXVI. 2. Quo fere tempore etiam inclytus fuit C. Caſſius, quod nomen in hoc nummo ſimul cum L. *Salinatoris* nomine exprimitur. Pervenit enim ad Conſulatum XX annis poſt *C. Caſſius* C. F. C. N. apud Livium XLII. 28. & 32. Potuit ille Juvenis XXX circiter annorum, vel forſan ejus pater, itidem C. Caſſius cum L. Oppio Salinatore mandatum ab Senatu accepiſſe exſtruendæ claſſis. Nam Literas D. S. S. iſtius nummi interpretor *de ſenatus ſententia*. Sic enim apud Fabrettum cap. 3. inſcript. 650. *Baſilicam Fac. Curavit de Sen. ſent.* Vide & Val. Probi Notas.

[Graviter ergo errat Vallantius, quando ita confidenter affirmat, *Salinator cognomen eſſe VNIVS Liviæ*

M 5 *Gen-*

Gentis. Fuit enim & *Oppia.* Solum audiamus Livium XXXV. 24. ubi inter Prætores illius anni nominat ultimos *C. Livium & L. Oppium*, & addit, *utrique eorum Salinator cognomen erat.*]

[Edidit eundem Quartum G. *Lolliæ* nummum Vallantius in Familiis quoque Romanis, sed ibi diserte Caput illud Controversum ad Tiberium refert. At Morellii sententiæ de Quinto G. Lolliæ Nummo adversatur valde Prænomen. Nec enim Rufinus tantum, sed Omnes, Velleius, Eutropius, Obsequens, Cassiodorus, immo ipsa Tabula Collotiana, & Lapis antiquus apud Gruterum p. 160. quæ Nummis opponi facile possunt, *Marcum* appellant illum Lollium, qui tempore Augusti Consul fuit, & Galatiam primus Pro Prætore rexit. Alius ergo quærendus est L. Lollius, ad quem hi Nummi pertineant; Neque vero ex lacunis & commentis

Pi-

Pighii, ut unice facit suo more Vallantius, ad illustrandos hos Nummos L. Lollii, Quæsturam, Tribunatum pl. & Præturam ejus ex Pighio repetens, quum Pighius L. Lollium non noverit, nisi ex solis his ipsis Nummis, quæ probatio plane in circulum abit. Sed habemus *L. Lollium* apud Ciceronem Famil. VIII. 8. quem M. Lollii Palikani Fratrem fuisse crediderim. Pervenisse hos ad Præturam vel ex eo liquet, quod aspiraverit certe M. Palikanus ad Consulatum. Vide Valer. Max. III. 8. 3. Sed & Cicero ad Attic. I. 1. *Palikanum* inter suos competitores, verum cum contemptu, nominat. Quia vero, quid illi in provinciis rerum gesserint, & in quibus, incertissimum est, idcirco nihil mirum ignorari capita Nummorum, nisi quod in uno manifestum sit Caput Jovis Hammonis, quod & in Nummo 4. Gentis Pinariæ reperitur. Conjectare hinc

liceat, præfuiſſe Eum Cyrenaicæ, ut facit Vallantius: ſed qui in Nummo Quarto hujus Gentis apud Patinum, at apud Se Septimo & Octavo, inſcriptas haſce literas P. S. S. C. mirifice interpretatur, hoc modo, *Poſuere Suffetes Carthaginienſium*, & *Suffetes Carthagenienſes* exponit identidem per *Senatum Carthaginienſem*, quum Suffetes non magis fuerint Senatus ipſe Carthagini, quam Conſules Romæ. Erant enim potius Magiſtratus Civitatis. Unde Feſtus comparat eos Conſulibus; *Sufes*, ait, *Conſul lingua Pœnorum*, & adfert dein verba ex antiquo Oratore *Calidio*, in quibus diſerte a Senatu diſtinguuntur Sufetes, ſcil. *Senatus cenſuit referentibus Sufetis.* Nullum præterea in his Nummis veſtigium Carthaginienſis Coloniæ, quam coloniam etiam *Suffetes* habuiſſe non credo. Putem itaque Literas illas ſic potius exponendas, *Pecunia Signata Senatus Conſulto*, quibus de-

cla-

claratur Senatum Romanum permisisse his IIViris pecuniam in sua Colonia signare. Similis plane est Tertius G. Egnatiæ Nummus, in quo idem caput cum lituo exhibetur, & Nomina aliorum IIViror. eædemque literæ, sed mutato paulum ordine S. P. S. C. quas Vallantius ibi exponit *Sumptibus Publicis Senatus Consulto.* Liquet satis, easdem esse & eodem modo exponendas. Eligat Lector.]

Macia gens, quam quæris, extitit jam temporibus Ciceronis, qui famil. ep. VII. 1. *Macium* nominat carminum & fabularum Censorem, quem Horatius in Arte Poëtica ideo *Macium Judicem* vocat. Sed maxime celebris illa fuit sub Imperatoribus; hinc *Macianus* JCtus satis tunc illustris, & alius Avidii Cassii filius. Sed & pater Gordiani fuit *Macius Marullus*, & hinc ejus filia *Macia Faustina.* Male enim Tristanus in Gord. p. 465.

reprehendit Casaubonum & Salmasium ita legentes, præferens ipse *Mettium*, tantum, quia hoc nomen sit celebrius. At vero hæc ipsa est caussa, quare *Macii* nomen toties a Librariis corruptum fuerit in *Mettius*, quia Hoc illis erat notius. Evidens ejus rei documentum nobis præbent nummi Imperat. Vespasiani & Domitiani abs te allati, & M. *Macium Rufum Procos.* memorantes. Conferendi enim illi sunt cum Suetonio in Domit. cap. 4. ubi ille dicitur *Ordinatione proxima Ægypto præfecisse Metium Rufum*. Sed legendum istic *Macium Rufum* ex istis tuis nummis videtur certissimum. Et cap. 20. *Vellem tam formosus esse, quam sibi Metius videtur*, ubi etiam Codex optimus diserte scribit *Macius*. Cæterum ad hanc gentem minime retulerim Nummos ad *Maciliam* ab Ursino relatos, quia in libera Rep. cujus temporis illi sunt, illustres *Macio-*

rum

rum habemus nullos. At exstiterunt tum gentes *Malia*, *Mania* & *Mævia*, ex quibus *Maniam* hic prætulerim. Sed Nummi 2. & 4. conveniunt cum iis, quos sub *Maiania* gentis nomine exhibet Ursinus.

[Verum *Majania* Gens Nulla in Historiis Antiquis. In Inscriptionibus Lapidum incerti & feri temporis multa occurrunt Nomina, quæ neutiquam, ut jam dixi, referenda ad antiquas Familias Romanorum. Lapides enim illi plerique extra Romam, immo & extra Italiam, reperiuntur positi. Homines ergo, qui istic memorantur, in municipiis fere vel coloniis habitabant, & erant orti vel ex provincialibus civitate Rom. donatis, vel ex Militibus veteranis, qui ex variis Italiæ oppidis aut ex ipsis provinciis originem trahebant, & qui maxime in tales colonias sub Cæsaribus mittebantur. Ineptum ergo est, ex

ta-

talibus Lapidibus velle explicare nummos, & constituere Familias, earumque cognomina, quæ tempore Reip. immo & sub primis plane Cæsaribus exstiterunt, nisi quando istic Consules Romani, aut alii diserte ipsius Urbis Cives, præsertim honoribus insignes, memorantur, qui tamen & ipsi tunc novarum plerique erant Familiarum Homines, & aliunde in Urbem delatarum. Rectius igitur Vallantius hos nummos refert ad gentem *Maniam*, sive *Mainiam*, ut olim scriptum fuit hoc nomen. Sed inscriptio Nummorum, prout & ipse eam nobis exhibet, non videtur in hanc Gentem satis convenire. Nam apud Eum reperio C. MIAVI. & P. ME AV. MF. Videntur Nummi esse obscuriores, ut adeo facile credam in his literis latere Nomen *Minatiæ* Gentis, quæ ex ipsis Nummis clarius expressis satis est nota, & ad tempus Pompeji Magni refer-

fertur, immo ex antiquis Samnitibus videtur orta. Vide Livium X. 20. Neque turbare nos debet illud ME, si modo vere ita est in Nummo excusum, quum & in G. Domitia Nummos habeamus DOME pro *Domi* inscriptos.]

[Crediderim tamen Suetonio disertissime id *Capricorni* Thema, Augusti in Nummis expressum, affirmanti. Sed & speciosior ista est ratio Capricorni in Nummis exprimendi, quam Morelliana, quæ certe non modo obscurior est, seu longius petita, sed neque usu quodam ex aliis Nummis probatur.]

[Videtur satis recte constituta hæc Bithyniæ Epocha. De ipsis Nummis Vide Nobiliss. Seguini Epistolam de Nummis Pompejanis in extr. & Vallantium in Familiis, ubi tamen maxima cum incuria officinæ Annus, unde illa Epocha incipere debeat, editur 466. quum fuerit 476.]

Sem-

[*Semproniæ* Gentis Nummum edidit Vallantius, in quo diserte ΠΥΘΙΑ legitur, at ab altera parte TOIC, quod forsan residuum ex ΔΕΛΦΟΙC. Nam in Eodem hoc Nummo & Græca & Latina reperiuntur: quales etiam Seguinus in Selectis suis exhibet inter Familias Romanas. Cognomen *Pitio*, suspectum mihi, fatebor enim, nusquam reperi in G. Sempronia, nec in ulla Alia: neque vero vel Nomen Gentis cujuscunque inde aut ab ejus Primitiva voce formatum, vel Cognomen ullum eandem originem præferens. Habemus quidem Gentes *Pettiam* & *Petiliam*, ab antiquo Nomine *Pettus* formatas, at nullam a *Pito*, nisi *Pitiam*, eamque tantum in Lapidibus. Si conjecturis hic daretur locus, legerem vel RVTIL. h. e. *Rutilus*, quod cognomen fuit antiquum in G. Sempronia, vel PITHO, quod nomen est Deæ Suadæ, quæ Eloquentiæ præ-

præeſt, & vim perſuadendi habet, Græce Πειθώ. Heſiodus Ἐργ. v. 73. Χάριτές τε Θεαὶ, ἠ πότνια Πειθὼ, *Chariteſque Deæ, & veneranda Suada.* Viderint & conſiderent omnia, quorum in manus integri hi Nummi inciderint.]

[Nummum L. M. RVF. P. C. Q. inſcriptum, retulerim quoque ad *L. Meſcinium Rufum*, quo nomine vixit tempore Ciceronis Senator quiſpiam, & Ciceronis ipſius Quæſtor. Vide Famil. Ep. V. 19. 20. 21. & XIII. 26. Sive jam is ſit, qui Nummum hunc cudi curavit, ſive Alius, quod potius crediderim, quia Quæſtor fuiſſe videtur Hiſpaniæ Citerioris, in qua Urbs *Emporia* ſita erat, cujus Urbis Nomine declaratur utique cuſum iſtic Nummum. Literas igitur P. C. Q. legerim *Provinciæ Citerioris Quæſtor.* Nam ne dubitari poſſit, quænam ſit illa *Provincia Citerior*, facit Nomen Urbis, quam dixi, iſtic expreſſum.]

Num-

Nummum septimum *Liciniæ Gentis* habeo, sed obscuriorem, quam ut figuræ in aversa parte exhibitæ liquido cognosci possint. Magis tamen, ut ingenue agam, figura equum ducens videtur virilis, expeditis quippe pedibus, quam muliebris; sed & sub equo quod conspicitur, propius mihi ad clypeum videtur accedere, quam ad modium.

[Sed & videtur Clypeus pedibus Hominis appositus congruere cum Hasta, quam idem solo infixam sinistra manu tenet. Quocirca prorsus putem hoc Nummo designari Equitum transvectionem & probationem. Vide Valerium Max. II. 2. 9. & Illustrem Spanhemium pag. 550. 551.]

[Multa alia in hoc articulo quærit Cl. Morellius, sed quæ valde sunt incerta. Nam quid de *Man. Cordii*, & *C. Egnatii* Nummis certi vel minimum adferemus, quum

ipsi

ipſi Homines, eorumque res geſtæ, ex Hiſtoriis Romanis penitus ſint nobis ignotæ. Cordius videtur res Græcas & Græcorum fabulas ſuis in Nummis de induſtria expreſſiſſe, forſan, quod iis delectaretur. *C. Egnatium Maximum* ex Cicerone eruit Urſinus. Habemus & *Egnatiam Maximillam magnis opibus* feminam, uxorem Glicii Galli Senatoris, tempore Neronis apud Tacitum Ann. XV. 71. Sed nihil inde ſubſidii aſſequimur ad victoriam, ut videtur, navalem in Nummis Egnatii declarandam. In *Caninia* G. Nummo *Prætorium Tabernaculum* neque Ego agnoſco. Crediderim potius Menſam eſſe Quæſtoriam, in qua præda, bello ex hoſtibus parta, in Caſtris ad Quæſtorium divendebatur, quod & Haſta adſtans, quæ publicis Auctionibus eſt propria, innuere videtur. In Capitibus diſtinguendis, inprimis quando ipſos nummos inſpi-
ciendi

ciendi nulla est copia, non multum me jacto, & idcirco judicium de Nummo *Cloviorum* aliis permitto. De Monstro marino in *Corneliæ* & aliarum Gentium Nummis videri velim Ill. Spanhemium de Usu & Præstantia Num. pag. 225. Nummum G. *Herenniæ* neque Ego de Ænea interpreter, sed potius de Catanensi juvene Patrem auferente ex periculo incendii Ætnæi, quo etiam modo Eum exposuit Vallantius. *Cocles* in Nummo ab Trajano restituto ad quem alium referri queat, aut debeat, quam ad Horatium illum Vetustum, Urbis Romæ servatorem, non video. Nam licet Nobilissima hæc & Patricia Familia dein desierit, tamen Illustrium ex ea Hominum memoriam fuisse in Nummis repetitam, nihil a moribus publicis alieni habet. Nam & sic Faustulus, T. Tatius, Numa, Ancus, Brutus, Ahala in Nummis postea expressi reperiuntur.

tur. Aliam certe Familiam *Coclitis* cognomine insignem ignoro.]

Nummus secundus in *Quinctilia* Gente nihil plane habet, quod referendum sit ad *Oscam*, nec convenit cum Nummo 4. Tab. II. *Domitiorum*, nisi in solis insignibus Pontificatus Maximi, quæ istic denotant, Augustum tunc Pontificem fuisse Maximum, ut in illo Domitii *Cn. Domitium*, (Vide Liv. Epit. 67.) æque ac Lepidum in Nummo 6. tab. II. Æmiliorum. At nummum illum a Patino quidem *Quinctiliæ* genti adscriptum, neutiquam ego tamen ad eam retulerim, sed ad *Variam*. Exponendus enim videtur *C. Varius Rufus, Sex. Julius Pollio IIViri Quinquennales*.

[Ita jam exposuit etiam Vallantius hunc Nummum, & recte ad *Variam* Gentem retulit: sed in eo peccavit Vir Doctus gravissime, quod *duos* tantum *in Historia Rom.*

Va-

Varios nomine occurrere affirmat. Nam vel unus nobis Tacitus plures offert *L. Varium Consularem*, Ann. XIII. 32. *Varium Ligurem*, IV. 42. *Varium Crispinum*, Hist. I. 80. Tum Seneca Suasor. 6. & Epist. 40. *Varium Geminum*. Sed omnium celeberrimus fuit *Q. Varius Hybrida*, celebris Orator temporibus Sullanis, ac Tribunus plebis. Erat is natione Hispanus domo Sucronensis. Sed nihil ille ad hunc *C. Varium Rufum* temporibus Augusti æqualem pertinet. Ab hoc autem ortum crediderim *Rufum Crispinum*, Equitem Romanum & Præfectum Prætorii sub Imp. Claudio. Vide Tacitum Ann. XII. 42. & XVI. 17. Nam apud Eundem d. l. reperio *Varium Crispinum Tribunum Prætorianorum*, quem crediderim Rufi Crispini Filium vel Agnatum, atque adeo Rufum Crispinum fuisse *Varium* Gentis suæ nomine. Nummus ille Domitii haud dubie nobis me-

memorat Cn. Domitium Calvinum, qui *Coſ. Iterum* fuit ſub Triumviris, & tertio anno poſt triumphavit de Hiſpanis. Vide Faſtos Triumphales & Vellejum Paterc. II. 78. Hinc *Imperator* in Nummo dicitur, & *Oſcæ*, Urbis Hiſpanicæ, nomen in altera ejus parte exprimitur. Quare autem Pontificatus inſignia in hoc Nummo appareant, incertum, forſan in honorem Lepidi IIIVirorum Primi, qui Pontifex Max. tunc erat, vel quia inter Majores Domitiorum fuit tempore Marii Cn. Domitius Pontifex Max. populi ſuffragio creatus, vel denique quia ipſe etiam Pontifex, licet non Maximus, forſan fuit.

Hæc velim ingenuo candore notata ad tuam Epiſtolam æqui bonique conſulas, meque credas tibi optime velle, ac Deum precari, ut tuis ſtudiis & conſiliis faveat. Certe ego maximo deſidero opere, ut brevi in lucem prodeant, quæ ſtu-

 dio

dio collegisti summo, & maximo nummorum usu didicisti. Vale & age feliciter. Lugduni in Batavis a. d. XIV. Kal. Majas CIↃIↃCCII.

VIRO CELEBERRIMO

JACOBO PERIZONIO

S. P. D.

ANDREAS MORELLIUS.

Quod Epistolam meam timidiuscule paulo ex suspicione, quod forte ea contineret, quæ non satis digna, ut sub nomine Tuo prodirent, scriptam, tam benevole excipere, responsioneque insuper & humanissima & doctissima dignari volueris, de eo impense gaudeo. Cumque nuper culpa Mercatoris cujusdam Amstelodamensis, cujus fidei per Amicum concredita erant exemplaria, factum fuerit, ut serius eadem, quam par erat, acceperis, nunc per valetudinem, cum qua nondum in gratiam redii, accidit, ut justo serius pariter ad Tuas acceptissimas respon-

spondeam, quam vero moram pro humanitate Tua æqui bonique, spero; consules. Ibo autem per summa quæque Epistolæ Tuæ capita, & quid de quoque mihi videatur, paucissimis indicabo, ita tamen, ut Tuo judicio, quod velut Hermam Mercurialem sequor, omnia subjecta velim & singula.

ABVRIA. Gentem hanc ab Aburendo dictam fuisse, docuit Pighius Tom. II. pag. 278. falso nixus fundamento, nam errore calami nummum citat, qui nunquam in rerum natura fuit, eoque opinionem suam probare conatus est: ex cujus verbis tamen dehinc Autor quidam ejusmodi effinxit nummum, & æri incidi curavit, prout illum propediem videbimus. Ista derivatio eo minus locum habere potest, si Thomæ Reinesio credimus, qui etiam Æburium & Eburium protulit. Conjectura mea, quod corrigendus sit Tacitus, non equidem approbationem petit, sed illam saltem proposui ob cognomen RVSO, cum & Abudii fuerint. Q. Abudius Theodotus occurrit apud Sponium in Misc. Erud. Antiq. pag. 105. & Abutius Tertius in Antiquitatibus Italicis, pro quo tamen

Gruterus pag. 833. Æbutium Tertium reposuit.

AEMILIA. De nummis Paulli Lepidi doctissima affers, nec possum aliter, quin dictis tuis cedam, præsertim, si ab aliis comprobata comperero.

L. Paullo constantissime denegas Triumphum Tertium, etiamsi lapides illum concedere videantur: Si ergo & alios Tibi in hoc assurgere videam, TER Tibi gratulabor, quod Victor Triumphum ob Triumphi denegationem adeptus sis.

Nicias Cous Tibi gratias agere deberet, si viveret. Nam si in tempore id non monuisses, idem mansisset cum homine Grammatico, prout id publice etiam profiteor in Epistola literis hisce adjecta contra Gallandum, quam ut Tibi mittere possem, non minima causa est, quod serius hisce literis calamum addere jusserim.

VETTIA. Quia Tibi non placet, nummos Gentis Veturiæ ad hanc familiam referre, mihi quoque displicebit, plura de hac re in medium afferre.

POMPONIA. Scio Medicum Augusti Antonium, cognomine MVSA usum fuisse, diversum ergo ab illo credi-

diderim Antonium Musum DuumVirum in Municipio Turiaso, quem nobis demonstrat nummus Tiberii, & quidem distinctissime. Observavi in nummis hujus familiæ, quod V in nomine MVSA semper sic exprimatur $\bar{V}$, an non inde conjicere liceret, aliquam singularem sub hac lineola superaddita latere pronunciationem, de quo videatur Gruterus pag. IX. ubi notatur M. AVRE$\overset{I}{L}$VS VRSVLVS; at extra omne dubium legi debet: M. AVRELIVS, & lineola literæ L imposita, literam I significat, & L sequitur, quibus observatis nascitur conjectura, in nummis Gentis Pomponiæ propter impositam lineolam in voce MVSA legi forte debere Muisa, nam Miusa non quadrat, quia I. litera per lineolam notata in nomine M. Aurelii Vrsuli literam L. sequitur. Idem videtur accidere pag. X. ubi legitur: I. O. M. ET SA$\overset{I}{L}$V$\overset{I}{T}$ CELEAN. & impositum I necessario sequitur literam T. sed dubio non caret sequens vox, an nempe legi debeat CELEIAN. vel CELEAIN.

 quam-

quamvis neutrum intelligam. Quoad pronuntiationem vocis MVSA, credo, quod fieri debeat, quasi Mŭsa cum quadam varietate toni & Dialectorum.

[*In Inscriptione illa apud Gruterum nulla esse debet hæsitatio, licet vitiose in uno videatur scripta. Nam pro VE. COS. leg. B.F. COS. h. e.* Beneficiarius Consulis, *ut nos docuit Reinesius in Epp. ad Rupertum pag.* 82. *&* 113. *At reliqua sunt satis expedita. Legenda enim*, Jovi Opt. Max. Et Saluti Celejanæ, *vel forsan N male descripto pro E*, Celeiae. Celeja *fuit oppidum Rhætorum Veterum. Vide Plinium Nat. Hist. III.* 24. *Sæpe etiam in Inscriptionibus apud Gruterum reperitur, in quibus aliquando etiam CL. CELEIA dicitur, h. e.* Claudia Celeja. *Notulam autem supra Nomen MVSA in Nummis Pomponiæ G. scriptam, non leniorem & breviorem pronuntiationem denotare existimem, sed graviorem & productiorem, quam & in genuina sua, seu Græca, Lingua Vox ista desiderat. Antiquiores Romani scripsissent MOVSA, ut multa similia, at posteriores dein omiserunt O, & ejus loco videtur Pomponius lineolam addidisse, quæ declararet, V solum hic tamen esse pronunciandum, ut vetus OV.*]

AN-

ANTONIA. Etiamsi pulli gallinacei ab Auspiciis non sint alieni, ut recte mones, attamen in nummis hujus familiæ semper Corvus exprimitur, cujus loco Goltzius & alii Gallum perperam expresserunt.

FVRIA. In primo hujus Gentis nummo inter capita equorum & aurigam non animalculum est, sed certissime Conchylium, ex cujus cruore fiebat purpureus color, quo alluditur ad cognomen hujus Gentis: PVRPVREO. Conchylium istud alias sæpissime exhibetur in Tyriorum nummis, ceu patet ex Vaillantii Coloniis, ubi figura illius recte omnino exhibetur Tomo I. pag. 71.

CRITONIA. De iis, quæ de nummo Gentis hujus scripsi, vix ambigi potest, etiamsi notula quædam ex litera T emergens, non appareat, quia tres literæ consonantes absque vocali pronunciari non possent, at omissa necessario I. esse debet, nam reliquæ non potuissent omitti sine adjecta aliqua lineola. Nummus alias obvius est, illumque sæpissime vidi, & CVRT nullo modo in illo comparet, sed simpliciter L. CRT.

AVFIDIA. Nummus ille, quem ad

hanc Gentem retuli, certissime ad illam quoque spectat, & de illo jam dissertationem edidit Nobilissimus a Seidel, Berolinensis. Similis plane nummus asservatur in thesauro Regis Galliarum, & tertius Venetiis apud Sereniss. Principem de Ligne, ita ut de hac re dubium moveri amplius non possit.

ACCOLEIA. Gens & ejus origo adhuc in obscuro est, & non sine ratione dubitatur, an familiæ hujus cognomen Lariscolus derivari possit a Laricibus, quoniam dicendum foret Laricicolus: forsan ergo melius deducitur a quodam, qui Lares coluit, forteque Lares hujus familiæ fuerunt Nymphæ, cum hæc Numina in balneis colerentur, & in nummo caput balneatricis expressum sit. Forsan tres figuræ illæ in aversa parte Nymphas indicant, de qua re videndus Gruterus pag. 93. quam de Nymphis opinionem etiam Gronovius vester fovit in Collegio privato, quod de nummis Consularibus aliquando instituit.

[*Accoleia Gens sine dubio nomen habuit ab antiquo Nomine vel Prænomine* Accus

&

& Acca, *unde & reliquæ Gentes, quas jam supra memoravi, itidem denominatæ sunt. Et ita pleræque Familiæ Veterum Romanorum ab antiquis Nominibus seu Prænominibus suum traxerunt Nomen. Nullum fere est Prænomen, a quo non habeamus aliquod Gentis Nomen. Quod ad* Lariscoli *cognomen, certum est, nihil aliud præ se ferre illud, nisi diminutivam Vocem Laricis arboris. Cognomina autem fere omnia ex appellativorum nominum classe sunt sumpta, atque adeo aliquid semper, quum primum adhiberentur, notarunt, nisi quod nonnulli aliquando antiqua Nomina vel Prænomina obsoleta pro Cognominibus adsciverunt, veluti* Volusus, Tullus, Julus *&c. Sed ait Vir Doctissimus, Diminutivum a* Larix *deberet esse* Lariciculus. *Immo potius* Larixculus, *sed quia hoc duræ erat pronunciationis, maluerunt* Lariſculus *quasi a* Laris, *quomodo forsan pronunciarunt primis temporibus. Et ita* pulviſculus *a* pulvis, Aciſculus, *non ab* Aſcia, *sed a Græco* Ἀκὶς, Mucro, Acies. *Promiscue autem Latinos pronunciasse quædam in IS & IX, liquet etiam ex* Piſtris *&* Piſtrix. *Vide Gronovium Patrem Observ. I.* 18. *Sed & X in formandis Diminutivis aliquando elidi, non dubitabimus, si con-*

sideremus vocem Calculus, *non* Calciculus, *ex* Calx. *Nec mirum, quum & S sæpe elidatur, ut a* Piscis, Pisciculus, *ab* Avis, Avicula. *Nullus ergo dubito, quin ad Lariscoli cognomen alludant rami resinaceæ arboris, h. e. Laricis, in aversa ex seminis, quæcunque tandem illæ fuerint, surgentes.*]

ACILIA. Doctissima sane sunt, quæ attulisti de hujus Gentis aliarumque origine, ut & de Æsculapio & Hygiea: interim optarem videre etiam Telesphorum, qui morbo meo paralytico finem afferre posset.

ANTONIA. Optime mones, me binos C. Antonios confudisse: hæreo interim, cuinam nummus Ursini attribui debeat, quia uterque de Macedonia gloriari potuit. C Antonius Ciceronis in Consulatu collega, Proconsul Macedoniæ præfuit, ideoque nummus ad illum pertinere potest. C. Antonius vero Triumviri frater Macedoniam obtinuit sortitionis titulo pro fratre Triumviro, cum ille bello Galliam invasisset, & quia C. Antonius hic Junior semper in ore habuit Macedoniam, fieri potuit, quod etiam in nummis de illa gloriari voluerit: imo a

Bru-

Bruto captus in illa periit.

[*C. Antonium Ciceronis Collegam censeo potius designari hoc Nummo, quam IIIViri Fratrem. Ille tenuit Macedoniam Proconsule: at alter post necem Cæsaris in mediis turbis civilibus eam arripuit contra Brutum, sed statim ab eo victus & captus, ac dein occisus est.*]

Serpentes symbolum Asiæ esse, agnoscis quidem, sed rationem ejus optarem scire, & an Alexandri historia fundamentum symboli Asiæ existere queat, edoceri cuperem.

[*Serpentes symbolum sunt Vigilantiæ & Prudentiæ, & ideo tribuuntur Æsculapio, Saluti, Valetudini. Vide Festum in v.* Dracones. *Sed & Pacis sunt symbolum, ut liquet ex Caduceis Veterum. Postremum hoc spectasse Asiaticos credo in hoc Symbolo sibi sumendo, ut declararent suum pacis servandæ studium ac desiderium; neutiquam vero respexisse peculiare quid, quod Alexandro, non utique Asiatico, sed Europeo, in Asia, non tuenda, sed invadenda, obvenerit.*]

In hujus Gentis Tabulæ quartæ nummo distinctè leguntur hæ literæ: D. VR. pro quibus Goltzius legit: PAR. & confiteor, me hunc nummum nondum intelligere.

AV.

AVRELIA. Maxima cum voluptate legi omnia, quæ de origine hujus Gentis tradidisti, verbaque tua ipsissima Eruditis in Opere ipso proponentur.

CÆCILIA. Mutila inscriptio Gruteri & index Phigii me ad cognitionem hujus Gentis cognominis CORNVTVS traxerunt.

LIVIA. Non sine ratione existimas, nummum Salinatoris cujusdam ad hanc Gentem non pertinere, sed hæc res ulteriorem investigationem desiderat. Quod autem tres literas D. S. S. De Senatus Sententia exponis, sic simpliciter probari posse, ambigo. Omnes enim naves fuerunt constructæ de Senatus Sententia: verisimilius crederem dedicationem intelligi ipsius navis, cum tales dedicationes semper in usu fuerint, hodieque adhuc sint.

MÆCIA. Nummos Mæciliæ Gentis, de quibus dubitavi, eidem reliqui, prout & eidem adscripsit Ursinus. Interim non incommodum erit rationes dubitationis referre, ut peritiores certiora exinde eliciant.

MINVCIA. In Epistola contra Gallandum videbis, quantum periculum subierit L. Minucius [*Voluit* Mescinius] Ru-

Rufus, Ciceronis Quæstor, ut autem liberari exinde possit, alia quædam in subsidium misi,

Elegantissima sunt, quæ de nummis Liciniæ & Quinctiliæ Gentium monuisti, maximasque Tibi pro iis perago gratias, & quod tam humaniter Epistolam meam excipere volueris, ac doctissimis Tuis observationibus mihi prodesse. Meum erit, Tibi ea, in quibus profeci, tribuere, & de insigni hac benevolentia summaque Tua eruditione luculenta hinc inde interspergere testimonia, modo Deus Ter Optimus Maximus valetudinem vitamque concedat, usque dum languentis corporis laborem prælo submisero. Plura restant, de quibus lubentissime Te adhuc consuluissem, sed verecundia, ne nimis molestus Tibi hisce meis fierem, manum cohibuit, solummodo Divinum precatus Numen, velit Te, insigne rei literariæ columen, quam diutissime in his terris superesse, ut de eximio Tuo erga me amore gaudere queam amplius. Ita vale.

F I N I S.

O

co/